

Tirocinium Caesarianum

**Begründet von Berthold Otto
Fortgesetzt von Hermann Hillner**

**Liber alter
Liber tertius**

**Leipzig,
Verlag von K. G. Th. Scheffer,
1906.**

Vorrede zum Tirocinium.

Über den Zweck dieser Vorbereitungen zum Cäsar-text ist in der Vorrede zum ersten Buch alles nötige gesagt worden. Der Text des vorliegenden Heftes ist zu einem Teil im unmittelbaren Anschluß an die Vorbereitung zum ersten Buch des Cäsar im Hauslehrer erschienen. Da die Buchausgabe jetzt von vielen Seiten gewünscht wird, hat sich der Oberlehrer a. D. Hillner, zur Zeit Lektor am orientalischen Seminar, freundlichst bereit gefunden, die noch fehlenden Kapitel des zweiten Buches zu liefern. Herr Hillner hat längere Zeit unserem lateinischen Unterricht beigewohnt und es ergab sich in den Gesprächen darüber eine derartige Übereinstimmung über die dabei zu befolgenden Grundsätze, daß die Fortführung des Werkes in demselben Geiste, in dem es begonnen worden ist, gesichert erscheint. Der Unterzeichnete hat bei dem Übermaß sonstiger Arbeiten und weil für ihn selbst Cäsar beim Unterricht für längere Zeit nicht in Betracht kommt, keine Möglichkeit, das Tirocinium selbst zu vollenden. Herr Hillner wird demnach auch die übrigen Bücher bearbeiten, die in kurzer Aufeinanderfolge erscheinen sollen; das dritte liegt bereits vor. Kleine individuelle Verschiedenheiten sind natürlich unvermeidlich, aber die Hauptgrundsätze wie gesagt, sind einheitlich. Ganz besonders wird nicht etwa von einem Buch des Tirocinium zum andern ein Fortschritt vom Leichterem

zum Schwereren erstrebt, vielmehr ist jedes einzelne Buch für Anfänger berechnet, sodaß die Lektüre mit jedem beliebigen Buch begonnen werden kann. Daß es in dieser Gestalt auch fernerhin den Nutzen in weiteren Kreisen gewähren möge, den es an manchen Orten schon gewährt hat, das ist der Wunsch, mit dem ich von dem mir lieb gewordenen Werke scheide.

Großlichterfelde, den 23. März 1905.

Berthold Otto.

Im Anschluß an obiges Vorwort erlaube ich mir folgendes zu bemerken:

Ich habe die Fortsetzung des von Herrn Berthold Otto begonnenen Tirociniums so eingerichtet, daß dem Schüler sich anfangs weniger Schwierigkeiten bieten als im Verlauf des vorliegenden Buches.

Die Herren Lehrenden würden mich zu Dank verpflichten, wenn sie mir Nachricht darüber zukommen lassen wollten, wie sich meine Arbeit in praxi bewährt, damit ich in eventuell zu veranstaltenden weiteren Auflagen zum Nutzen dieser Arbeit von den eingegangenen Ratschlägen Gebrauch machen könnte. Im übrigen erbitte ich mir die Nachsicht der Herren Lehrenden, solange ich mich in Herrn Berthold Ottos Gedanken noch nicht so recht habe einleben können.

Schließlich erfülle ich die angenehme Pflicht, Herrn Berthold Otto auch an dieser Stelle meinen aufrichtigen Dank auszusprechen für die lebenswürdige Unterstützung, die er mir im Laufe dieser Arbeit hat angedeihen lassen.

Großlichterfelde, Ringstraße 47.

Hermann Hillner.

1. Caesar in citeriore Gallia erat, Labienus cum legionibus in ulteriore Gallia erat. Legiones in hibernis erant, uti supra demonstravimus. Tum Belgae contra populum Romanum coniurabant. Hoc Caesari nuntiatum est. Rumores, de Belgarum coniuratione Galliam pervadebant. Hi rumores ad Caesarem afferebantur iterum atque iterum; crebri rumores ad Caesarem afferebantur. Praeterea Labienus Caesarem per litteras de hac coniuratione certiore faciebat; ergo Caesar litteris Labieni certior fiebat Belgas coniurare. Belgae tertiam partem Galliae incolebant, vel, ut ait Caesar, Belgae tertia pars Galliae erant. Hi Belgae obsides inter se dabant. Hoc ii homines faciunt, qui foedus faciunt; etiam ii, qui coniurant. Hae causae erant coniurandi: Galli bellum gesserant; Caesar eos vicerat et coëgerat, ut pacem facerent; Caesar omnem Galliam pacaverat. Belgae sic existimabant: »Omni Gallia pacata Caesar exercitum Romanum ad Belgas adducet.« Hoc Belgae ipsi existimabant. Deinde Belgae ab nonnullis Gallis sollicitabantur. Galli noluerant Germanos diutius in Gallia versari (hoc est: manere); tum nolebant populi Romani exercitum in Gallia hiemare; Galli moleste ferebant populi Romani exercitum in Gallia hiemare et inveterascere. Nam antea interdum novi exercitus Romani in Galliam venerant; sed adhuc nullus Romanorum exercitus in Gallia inveteraverat. Nonnulli Galli haec moleste ferebant. Alii semper novis imperiis studebant, sed non Romanorum

imperiiis sed ipsorum imperiiis. Nam in Gallia saepe viri potentiores et divites homines conducebant et per hos homines regna occupabant, sicuti iam de Orgetorige et de Dumnorige narratum est. Ad conducendos homines pecunia opus est; itaque divites ad conducendos homines facultates habebant. Ergo in Gallia a potentioribus atque iis, qui ad conducendos homines facultates habebant, vulgo regna occupabantur; sic Galli mobilitate et levitate animi novis imperiiis studebant. Hanc rem hi Galli imperio Romano (si Romani Gallis imperabant) minus facile consequi poterant. Caesar his nuntiis litterisque commotus est. Caesar in citeriore Gallia duas novas legiones conscripsit. Caesar Quintum Pedium legatum misit, qui has duas legiones in Galliam ulteriorem deduceret. Hoc fecit aestate inita. Caesar ipse ad exercitum venit, cum primum pabuli copia esse inciperet. Nam antea exercitus iter facere non potest, quia equi pabulo egent.

2. Senones Belgis finitimi erant. Propterea Caesar iis negotium dat, uti ea, quae apud Belgas gerantur, cognoscant. »De his rebus« inquit, »me certiore facitote«. Non Senonibus solis hoc negotium dedit, sed etiam reliquis Gallis, qui finitimi Belgis erant. Hi constanter omnes nuntiaverunt, quae apud Belgas gererentur. Manus (hoc est: multi milites) cogeantur; exercitus in unum locum conducebatur. Tum Caesar sic existimavit: »Nunc mihi dubitandum non est, quin ad Belgas proficiscar.« Caesar rem frumentariam comparat; re frumentaria comparata Caesar castra movet. Tum diebus circiter quindecim ad fines Belgarum pervenit. Celerius omnium opinione (hoc est: celerius, quam omnes opinati erant) Caesar eo pervenit; non providerant Belgae eum tam celeriter venturum esse; ergo de improvviso Caesar venerat. Remi ex Belgis proximi Galliae sunt. Remi ad Caesarem legatos miserunt Iccium et Andecombogium.

Hi erant primi civitatis. Per hos Remi Caesari dixerunt »Permittimus nos et omnia nostra in fidem atque potestatem populi Romani. Cum reliquis Belgis non consensimus. Contra populum Romanum non coniuravimus Parati sumus, et obsides dare et imperata facere. Parati sumus Romanos oppidis recipere. Parati sumus Romanos frumento ceterisque rebus iuvare. Reliqui omnes Belgae in armis sunt. Germani, qui cis Rhenum incolunt, se cum Belgis coniunxerunt. Ne Suessiones quidem, qui fratres consanguineique nostri sunt, qui eodem iure utuntur, quo nos utimur, qui eisdem legibus utuntur, quibus nos utimur, qui nobiscum unum imperium unumque magistratum habent, ne hos Suessiones quidem deterrere potuimus, quin cum reliquis Belgis consentirent. Tantus omnium eorum furor est«. Haec legati Caesari dixerunt. Caesar ab his quaesivit, quae civitates in armis essent et quantae hae civitates essent et quid hae civitates in bello possent. Quod cum ab his quaereret, sic reperiebat: Plerique Belgae orti erant a Germanis. Hi antiquitus Rhenum traducti sunt. Videbant terram fertilem esse. Propter loci fertilitatem Belgae ibi con-sederunt et Gallos, qui ea loca incolebant, expulerunt. Tum Teutoni et Cimbri omnem Galliam vexaverant. Belgarum terra non vexata est; nam Belgae Teutonos Cim-brosque prohibuerunt intra fines suos (Belgarum) ingredi. Earum rerum memoria Belgae sibi magnam auctoritatem in re militari sumebant. Qui sibi magnam auctoritatem sumit, eum Romani dicunt sibi magnos spiritus sumere.

3. Caesar quaesivit, qui numerus armatorum esset De numero Remi omnia explorata habebant. Nam Remi ceteris Belgis propinquitatibus affinitatibusque coniuncti erant. Itaque Remi cognoverant, quae in communi Belgarum concilio facta essent et quantam quisque multitudinem ad id bellum pollicitus esset. Plurimum inter eos valebant Bellovaci et virtute et auctoritate et hominum numero.

Hi poterant conficere armata milia centum. Ex eo numero Bellovacum polliciti erant electa milia sexaginta. Propterea totius belli imperium sibi postulabant. Suessiones finitimi Remorum erant. Suessiones fines latissimos et agros feracissimos possidebant. Apud eos rex fuerat Divitiacus, totius Galliae potentissimus. Hic imperium cum magnae partis earum regionum, quas Belgae incolebant, tum etiam Britanniae obtinuerat. Tum Galba rex erat, vir iustus et prudens. Ad hunc omnium voluntate summa totius belli deferebatur. Suessiones oppida numero duodecim habebant; milia armata quinquaginta polliciti erant. Totidem polliciti erant Nervii, qui inter Belgas maxime feri habebantur longissimeque aberant. Quot milia ceterae civitates mittere arbitrati sint, apud Caesarem legetis. Quattuor Belgarum civitates, Condrusi, Eburones, Caeroesi, Paemani uno nomine Germani appellabantur. Hi Germani ad quadraginta milia arbitrabantur. Haec omnia Remi nuntiaverant. Caesar Remos cohortatus et liberaliter oratione prosecutus est (id iis dixit, quod iis gratum erat). Tum dixit: »Velim senatus vester ad me conveniat principumque liberi ad me adducantur, ut obsides sint«. Quae omnia a Remis diligenter ad diem facta sunt. Ipse Caesar autem Divitiacum Aeduum (non Suessionem; is enim iam mortuus erat) magnopere cohortatus est. Magnopere rei publicae communisque salutis intererat manus hostium distineri. Nisi hostium manus distinebantur, timendum erat, ne respublica communisque salus magno detrimento afficerentur. Nam si cum tanta multitudine hostium uno tempore confligendum erat, vix Romani Romanorumque socii resistere poterant. Fieri poterat, ut Belgarum manus distinerentur, si Aedui suas copias in fines Bellovacorum introducebant et eorum agros populari incipiebant. Hoc Caesar Divitiacum Aeduum docebat. His datis mandatis Caesar Divitiacum Aeduum a se dimittit. Omnes Belgarum copiae in unum locum

coactae erant et ad Caesarem venerunt neque iam longius aberant. Hoc Caesar ab exploratoribus, quos Caesar miserat, et a Remis cognovit.

4. Tum Caesar maturavit exercitum traducere flumen Axonam, quod est in extremis Remorum finibus. In eo flumine pons erat. Caesar ibi praesidium ponit. Caesar Quintum Titurium Sabinum, qui legatus erat, in altera parte fluminis cum sex cohortibus relinquit. Caesar ipse trans flumen castra ponit. Ripae fluminis unum latus castrorum muniebant. Flumen autem omnia, quae post exercitum Romanum erant, tuta ab hostibus reddebat. Sic commeatus ab Remis et reliquis civitatibus sine periculo ad Caesarem apportari poterant. Haec omnia ea re efficiebantur, quod Caesar exercitum flumen traduxerat. Castra semper vallo circumdantur. Tunc milites vallum pedum duodecim in altitudinem fecerunt et fossam duodeviginti pedum. Caesar non dicit, utrum haec fossa duodeviginti pedes lata an duodeviginti pedes alta fuerit. — Bibrax oppidum Remorum erat. Hoc oppidum a Caesaris castris aberat milia passuum octo. Id oppidum Belgae oppugnaverunt. Ex itinere magno impetu oppidum oppugnare coeperunt. Tantus impetus Belgarum erat, ut Remi eo die aegre sustentarent. Sed nescitis, quemadmodum Galli et Belgae oppida oppugnaverint. Non aliter Belgae oppugnant atque Galli. Gallorum eadem atque Belgarum oppugnatio est haec: Totis moenibus (novistis, quae sint moenia? sunt muri urbis vel oppidi) multitudinem hominum circumiiciunt; tum undique in murum lapides iaciuntur; sic murus defensoribus nudatur; tum testudinem faciunt. Tum portas succendunt et murum subruunt. Haec omnia tum facile fiebant. Magna multitudo lapides et tela in murum conieciabant (Caesar scribit: coniciebant, nam magna multitudo sunt multi homines; propterea Caesar numero plurali utitur). Remi in muro consistere volebant. Sed quia tot lapides iaciebantur, potestas consistendi in

muro non erat; nemo ibi consistere poterat; nulli potestas consistendi erat. Nox finem oppugnandi fecit. Iccius Remus, vir summa nobilitate et gratia inter suos (suis gratissimus erat), tum oppido praeerat. Is erat unus ex iis, qui legati de pace ad Caesarem venerant. Iccius nuntios ad Caesarem misit, qui dicerent: »Nisi subsidium nobis submittitur, nos diutius sustinere non possumus.«

5. Caesar statim Remis subsidia misit. Non misit milites legionarios, sed multos sagittarios, qui e Numidia et e Creta exercitum Romanum secuti erant. Hos Numidās et Cretās sagittarios Caesar oppidanis subsidio mittit. Sunt etiam milites, qui funda lapides iacere possunt. Hi vocantur funditores. Novistis, ubi Baleares insulae sint. In his insulis funditores clarissimi habitabant. Etiam funditores Baleares Caesar oppidanis subsidio mittit. Sed ducibus opus erat. Nam Caesaris milites itinera in hac terra non noverant. Caesar iisdem hominibus, qui nuntii ab Iccio venerant, ducibus usus est. Sic subsidia celeriter advenerunt. Tum Remi sperabant, se hostes defendere posse; propterea studebant propugnare, vel, ut ait Caesar, Remis cum spe defensionis studium propugnandi accessit. Hostes autem speraverant, se facile oppidi potiri posse. Haec spes potiendi oppidi hostibus discessit adventu subsidiorum. Belgae paulisper apud oppidum morati sunt; agros Remorum depopulati sunt; omnes vicos, quos adire poterant, aedificiaque incenderunt. His incensis Belgae ad castra Caesaris omnibus copiis contenderunt et iuxta castra Caesaris — a milibus passuum minus duobus — Belgae castra posuerunt. Haec castra amplius milibus passuum octo in latitudinem patebant. Tanta multitudo Belgarum erat. Hostes ignes in castris accendebant, ut coquere possent. Ignis et fumum Romani videbant. Fumus atque ignes significabant, quam late castra hostium paterent. Propter multitudinem hostium Caesar proelium committere noluit; statuit proelio super-

sedēre. Non solum multitudo hostium sed etiam opinio virtutis Caesarem movebat, nam omnes opinabantur Belgas virtute eximios esse. Eximia opinio virtutis Belgarum erat. Caesar autem periclitari statuit, quid hostes virtute possent. Hoc quotidie equestribus proeliis periclitabatur; iisdem proeliis Caesar periclitabatur, quid Romani contra Belgas auderent. Mox Caesar intellexit Romanos non inferiores esse. Tum proelium committere statuit. Sed metuebat, ne hostes, quod tantum multitudine poterant, ab lateribus pugnantes Romanos circumvenire possent. Propterea Caesar aciem ab utroque latere fossa munire instituit.

6. Is collis, ubi castra posita erant, non altus, sed paululum ex planitie editus erat. Acies nostra plus loci occupat, quam acies Romana. Sed etiam acies Romana aliquantum loci occupabat. Caesaris acies instructa tantum loci occupare poterat, quantum is collis adversus in latitudinem patebat. In summo colle castra posita erant. Locus pro castris ad aciem instruendam natura opportunus et idoneus erat. Ex utraque parte collis deiectus habebat, in frontem leniter fastigatus erat et paulatim ad planitiem redibat. Tamen fortasse hostes, quod tantum multitudine poterant, Romanos pugnantes ab lateribus circumvenissent, nisi Caesar duas fossas obduxisset. Ab utroque latere eius collis, ubi castra Romana posita erant, Caesar transversam fossam obduxit circiter passuum quadringentorum. Ad extremas fossas Caesar castella constituit. In his castellis Caesar tormenta collocavit. Novistisne tormenta? Arcu sagittas mittimus, tormentis Romani trabes et saxa in hostes mittebant. Hoc fecit Caesar. Hoc facto Caesar duas legiones, quas proxime conscripserat, in castris reliquit, ut hae legiones subsidio duci possent, si quo (»aliquo« amittit »ali« post »si«) opus esset. Duabus legionibus relictis Caesar reliquas sex legiones pro castris in acie constituit. Hostes item suas copias ex castris eduxerunt. Hostes suas copias e castris eductas

instruxerant. Sed congregari non poterant Galli et Romani; nam inter Romanum et hostium exercitus intererat palus. Palus non magna erat; sed palus non facile transitur. Qui paludem transit, impeditus est palude. Propterea neutri aggressi sunt. Belgae exspectabant, si Romani paludem transirent, et Romani exspectabant, si Belgae paludem transirent. Neutri transire coeperunt; a neutris initium transeundi factum est. Et Romani et Belgae parati in armis erant, ut impeditos hostes aggredirentur. Interim proelio equestri inter duas acies contendebatur. Non dicit Caesar, utrum equites paludem transierint, an proelium equestre iuxta paludem factum sit.

7. Non dicit Caesar Romanos proelio equestri vicisse; dicit proelium equestre Romanis secundius fuisse. Ubi neutri transeundi initium faciunt, secundiore equitum proelio Romanis Caesar suos in castra reduxit. Ergo neuter vicit. Flumen Axona post castra Romana erat. Hoc iam antea demonstratum est. Hostes protinus ex eo loco ad flumen Axonam contenderunt. Ibi vada reperiunt, quibus transire poterant. Vadis repertis partem suarum copiarum traducere conati sunt. Hoc conati sunt eo consilio, ut castellum, cui praeerat Quintus Titurius legatus, expugnarent. Etiam pontem, quem Quintus Titurius sex cohortibus defendebat, interscindere Belgae volebant, ne Caesar redire posset. Si minus pontem interscindere potuissent, agros Remorum populari studebant. Nam agri Remorum Romanis magno usui ad bellum gerendum erant. Si Belgae Remorum agros populati essent, Romanos commeatu prohibuissent. Titurius autem videt Belgas venire; et Titurius Caesarem de hac re certiore fecit. Caesar certior factus ab Titurio omnem equitatum pontem traducit. Non solum equitatum traducit, sed etiam funditores (qui funda lapides iaciunt) et sagittarios et Numidas levis armaturae (qui leviter armati erant) traducit atque ad eos (ad Belgas transeuntes)

contendit. In eo loco acriter pugnatum est. Belgae impediti in flumine erant; impeditos in flumine Romani aggressi sunt et magnum eorum numerum occiderunt. Tamen reliqui Belgae per corpora occisorum audacissime transire conantur. Hos Romani multitudine telorum reppulerunt; primi transierant; hos Romani equitatu circumvenerunt et occiderunt. Sic Belgas spes fefellit et de expugnando oppido et de flumine transeundo. Praeterea Romani non progressi sunt in iniquiorem locum pugnandi causa. Belgas autem res frumentaria deficere coepit. Propterea Belgae consilium convocaverunt. Constituerunt optimum esse domum suam quemque reverti. Sic omnes domum reverterunt. Repeto, quae dixi, ut memoria teneatis: Belgae ubi spem se fefellisse intellexerunt neque Romanos in locum iniquiorem progredi pugnandi causa viderunt atque ipsos res frumentaria deficere coepit, consilio convocato constituerunt optimum esse, domum suam quemque reverti.

8. Existimabant Belgae Romanos exercitum in fines alicuius civitatis introducturos esse. Sic existimabant: »In quorum fines primum Romani exercitum introduxerint, eos defendemus; ad eos defendendos undique conveniemus. Sic potius in nostris quam in alienis finibus decertabimus et domesticis copiis rei frumentariae utemur.« Quid Belgas tum ad eam sententiam deduxit? Multae causae, quod oppidum expugnare et pontem interscindere non potuerant, eos moverunt; sed cum reliquis causis haec quoque ratio eos deduxit: Divitiacus cum Aeduis appropinquavit finibus Bellovacorum. Hoc Bellovaci cognoverant. Bellovaci, qui cum ceteris Belgis contra Caesarem pugnabant, suis auxilium ferre voluerunt; diutius morari noluerunt. His persuaderi non poterat, ut diutius morarentur^r neque suis auxilium ferrent. Quia Bellovaci domum redierunt, etiam ceteri domum redire voluerunt. Haec constituerunt. Ea re constituta noctu

castris egressi sunt. Sed magno cum tumultu et strepitu castris egressi sunt. Nullus certus ordo neque imperium iis erat; sibi quisque primum itineris locum petebat et domum properabat. Nullo certo ordine et imperio castris egressi fecerunt, ut profectio consimilis fugae videretur. Caesar hanc rem statim per speculatores cognovit; sed nondum perspexerat, qua de causa discederent; propterea insidias veritus est et exercitum equitatumque castris continuit. Prima luce Caesar exploratores misit, qui viderent, quid Belgae fecissent. Etiam hi nuntiaverunt Belgas egressos esse. Tum Caesar confirmata re ab exploratoribus omnem equitatum praemisit, qui novissimum agmen Belgarum moraretur. Equitibus Caesar Quintum Pedium et Lucium Aurunculeium Cottam legatos praefecit. Praeter equites Caesar Titum Labienum legatum cum tribus legionibus subsequi iussit. Equites et pedites Romani hostes novissimos adorti sunt. Romani hostes fugientes multa milia passuum prosecuti sunt et magnam multitudinem hostium fugientium conciderunt. Non omnes hostes semper fugiebant; ii semper consistebant, ad quos Romani venerant vel, ut ait Caesar, »ad quos ventum erat«.

9. Romani, qui hostes fugientes prosecuti sunt, semper ad novissimos hostes venerunt, semper ad extremum agmen hostium. Ab extremo agmine hostium ii, ad quos ventum erat, consistebant et fortiter impetum Romanorum militum sustinebant. Priores hostes autem non consistebant, nam hi aberant a periculo. Nemo iis imperabat; nemo iis dicebat: necesse est pugnare; sic contineri non poterant; neque ulla necessitate neque imperio continebantur. Immo ordines perturbati sunt. Nam audiebant clamorem pignantium; itaque fugiebant; in fuga sibi praesidium ponebant. Repeto: Priores Belgae, qui aberant a periculo, exaudito clamore perturbatis ordinibus omnes in fuga sibi praesidium ponebant.

Sic semper multi Romani cum paucis Belgis pugnabant; cum hos necavissent, cum aliis pugnabant; ita Romani sine ullo periculo multos Belgas interfecerunt; tantam eorum multitudinem interfecerunt, quantum diei spatium fuit; si dies longior fuisset, plures interfecissent. Sub occasum solis Romani sequi destiterunt et se, ut erat imperatum, in castra receperunt. Caesar autem existimabat hostes se mox recepturos esse ex terrore ac fuga. Propterea iam postridie eius diei Caesar exercitum in fines Suessionum duxit, ut exercitus adveniret, priusquam se hostes ex terrore ac fuga reciperent. Exercitus Romanus magnum iter confecit. Magno itinere confecto Caesar ad oppidum Noviodunum venit. Caesar conatus est Noviodunum ex itinere oppugnare, nam audiebat oppidum vacuum esse ab defensoribus. Re vera pauci Belgae oppidum defendebant. Sed fossa latior erat et murus altior erat, quam ut Caesar oppidum expugnare posset. Repeto: Propter latitudinem fossae et altitudinem muri paucis defendentibus Caesar Noviodunum expugnare non potuit. Itaque Caesar castra munivit; scitis Romanos hoc semper fecisse. Castris munitis Caesar omnia comparare coepit, quae ad oppugnandum usui erant. Romani, si oppidum oppugnabant, vineas ad oppidum agebant, fossam complebant, aggerem struebant, ut ex aggere in murum transire possent.

10. Belgae nesciebant, quibus operibus Romani uterentur ad oppida oppugnanda. Caesar Noviodunum oppugnabat. Opera Romanorum magna erant. Vineae ad oppidum actae sunt. Multus agger iactus est. Turres constitutae sunt. Talia opera Galli ante neque viderant, neque audiverant. Mirabantur, quam celeriter Romani haec omnia facerent. Magnitudine operum et celeritate Romanorum Galli permoti sunt, ut se dederent Romanis. Hoc fecerunt, ut iam dixi, vineis ad oppidum actis, aggere iacto, turribus constitutis. Legatos ad Caesarem de de-

ditione mittunt. Remi (qui amici Romanorum erant) petebant a Caesare, ut hi Galli, qui legatos miserant, conservarentur. Remis petentibus Galli a Caesare impetrant, ut conservarentur (coniunctivus imperfecti post praesens historicum). Sic Suessiones, qui Noviodunum incolebant, se dediderunt. Obsides Caesari dati sunt; primos civitatis Caesar obsides accepit. Etiam ipsius Galbae regis duos filios Caesar obsides accepit. Arma omnia ex oppido tradita sunt. Sic Caesar in deditionem Suessiones accepit, ut iam dixi, obsidibus acceptis primis civitatis atque ipsius Galbae regis duobus filiis armisque omnibus ex oppido traditis. Tum Caesar exercitum in Bellovacos (hoc est: in fines Bellovacorum) ducit. Bellovaci se suaque omnia in oppidum Bratuspantium contulerant. Cum Caesar ab eo oppido cum exercitu circiter milia passuum quinque abesset, Bellovaci se dedere volebant. Omnes maiores natu ex oppido egressi sunt, manus ad Caesarem tetenderunt, voce significaverunt sese in Caesaris fidem et potestatem venire. Voce significaverunt sese contra populum Romanum armis non contendere. Caesar ad oppidum accessit et castra ibi posuit. Item cum ad oppidum accessisset et castra ibi poneret, pueri mulieresque ex muro manus pandebant. Hic mos est Gallorum, sic pacem petunt. Pueri mulieresque ex muro passis manibus suo more pacem ab Romanis petiverunt.

11. Antea narravi Belgas discessisse. Post discessum Belgarum Divitiacus (vel Diviciacus), qui Haeduos (vel Aeduos) duxerat, Haeduorum copias dimiserat. Dimissis Haeduorum copiis Divitiacus ad Caesarem reverterat. Tum Divitiacus pro Bellovacis verba fecit. Bellovaci omni tempore in fide atque amicitia civitatis Haeduae fuerant; nuper ab Haeduis defecerant. Cur defecerant? Principes Bellovacorum dicebant Haeduos a Caesare in servitutum redactos esse. Principes Bellovacorum dicebant, Haeduos a Caesare in servitutum redactos omnes

indignitates contumeliasque perferre. Haec Bellovaci principibus suis crediderunt. Sic Bellovaci ab suis principibus impulsus ab Haeduis defecerunt et populo Romano bellum intulerunt. Principes Bellovacorum, qui eius consilii principes fuerant, profugerant. Nam intellexerant, quantam calamitatem civitati intulissent. Propterea in Britanniam profugerant. Ii, qui peccaverant, profugerant; ceteri Bellovaci, qui a Caesare pacem petebant, nihil peccaverant. Haec omnia Divitiacus Caesari dixit. Etiam haec dixit: »Petunt non solum Bellovaci, sed etiam pro Bellovacis Haedui a te, Caesar, ut tua clementia et mansuetudine in eos utaris. Si hoc feceris, Haeduum auctoritatem apud omnes Belgas amplificabis«. Nam Belgae consueverant auxiliis atque opibus Haeduum uti, si quae bella inciderant. Auxiliis et opibus Haeduum, si qua bella inciderant, sustentabant. Sic Haeduum auctoritas apud Belgas magna erat. Caesar haec dixit: »Honoris Divitiaci atque Haeduum causa Bellovacos in fidem recipiam et conservabo.« Sed quod Bellovacorum civitas magna inter Belgas auctoritate erat et quod Bellovacorum civitas hominum multitudine praestabat, Caesar sexcentos obsides poposcit. Obsides traditi sunt; omnia arma ex oppido collata sunt. Obsidibus traditis et armis collatis Caesar ab eo loco in fines Ambianorum pervenit. Ambiani se suaque omnia sine mora dediderunt.

12. Ambianorum fines Nervii attingebant. Caesar de natura et de moribus Nerviorum quaerebat. Quorum de natura moribusque Caesar cum quaereret, sic reperiebat: Mercatoribus nullus aditus ad Nervios erat. Nervii vinum inferri non patiebantur. Nam vinum ad luxuriam pertinet. Etiam aliae res ad luxuriam pertinent. Iis rebus animi relanguescunt et virtus remittitur. Propterea Nervii nihil patiebantur vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri, quod existimabant iis rebus relanguescere animos et remitti virtutem. Nervii homines feri erant.

Nervii magnae virtutis erant. Nervii increpitabant et incusabant reliquos Belgas, qui se populo Romano dederant: »Virtutem, quam a patribus accepistis, patriam virtutem proiecistis. Nos legatos non mittemus. Nos nullam condicionem pacis accipiemus. Confirmamus nos neque legatos missuros esse neque ullam condicionem pacis accepturos esse«. Sic Caesar de Nervii reperiebat. Tum Caesar per fines Nerviorum iter fecit. Nervios non vidit. Nonnullos singulos viros cepit. Ex his captivis inveniebat Nervios consedissee trans Sabim flumen. Sabim flumen a Caesaris castris non amplius milia passuum decem aberat. Trans id flumen Nervii adventum Romanorum expectabant. Atrebates et Viromandui finitimi Nerviorum erant. His utrisque finitimis Nervii persuaserant, uti eandem belli fortunam (quam Nervii) experirentur. Nervii etiam Aduatucorum copias expectabant. Hae copiae in itinere erant. Omnes viri, qui ad pugnam utiles erant, Romanos expectabant. Senes et pueri, qui per aetatem ad pugnam inutiles videbantur, et mulieres in eum locum coniecti erant, quo propter paludes exercitui aditus non erat. Haec omnia Caesar ex captivis inveniebat.

13. Nonnulli milites explorant, quid hostes faciant. Hi milites vocantur exploratores. Exploratores semper praemittuntur. Locus, ubi castra bene poni possunt, vocatur locus castris idoneus. Exploratores locum castris idoneum deligunt. Etiam tum Caesar exploratores centurionesque praemittit, qui locum castris idoneum deligant. Belgas, qui se Caesari dederant, Caesar Belgas dediticios nominat. Galli, qui se dederant, dediticii Galli vocantur. Ex his dediticiis complures Caesarem secuti sunt. Hi dediticii una cum exercitu Romano iter faciebant. Sic dediticii perspiciebant consuetudinem itineris exercitus Romani. Ex his dediticiis quidam Caesarem reliquerunt et nocte ad Nervios pervenerunt. Hoc Caesar tum nesciebat; hoc Caesar postea ex captivis cognovit.

Dediticii Nervis consuetudinem itineris exercitus Romani demonstraverunt. Consuetudo eorum dierum haec erat: Inter singulas legiones magnus numerus impedimentorum intercedebat neque quidquam negotii erat unam legionem adoriri. Si prima legio in castra veniebat, reliquae legiones magnum spatium aberant. Facile erat neque quidquam negotii erat hanc primam legionem sub sarcinis adoriri. Facile erat hanc legionem pellere et impedimenta diripere. Qua pulsa et impedimentis direptis Nervii reliquas legiones adoriri poterant. Sperabant futurum esse, ut reliquae legiones contra consistere non auderent. Hoc consilium dediticii dederunt, qui rem deferebant. Etiam alia res consilium eorum adjuvabat. Nervii equitatu nihil poterant. Neque enim ad hoc (Caesaris) tempus equitatu student. Quidquid possunt, valent copiis pedestribus. Propterea finitimorum equitatus facile in finibus Nerviorum praedari (praedam facere) poterat. Itaque finitimorum equitatus saepe praedandi causa ad Nervios veniebat. Hunc equitatum Nervii impedire studuerant. Eae res, quae hunc equitatum impediebant, etiam Romanos impediebant.

14. Quomodo Nervii Romanos impediebant? Arbores incidebant. Non arbores crassae incisae sunt, sed arbores tenerae, quae inflecti poterant. Novistisne saepem? Saepe vidistis saepes. Saepes hortum munit, ne quis intrare possit. Sed tales saepes, quae hortos muniunt, facile a militibus delentur. Nervii alias saepes fecerunt, quae melius munimentum praebebant. Saepes, quas Nervii fecerunt, instar muri munimentum praebebant. Novistis arbores. Ex arboribus enascuntur rami. Rami enascuntur in latitudinem. Si crebri rami ex arbore enati sunt, arbor densissima est. Arbores, quas Nervii incidebant et inflectebant, crebris in latitudinem ramis enatis densae erant. His arboribus Nervii utebantur ad saepes faciendas. Novistisne rubos? Fortasse bacas nigras edistis, quas rubi ferunt. Sed si bacas carpitis, spinae ruborum digitos

vestros pungunt et vestes vestras tenent. Etiam sentium spinae vos pungunt, sed sentes non ferunt bacas. Etiam sentibus et rubis Nervii utebantur ad saepes faciendas. Sentes et rubos Nervii interiiciebant ramis. Sic munimentum factum est, quo intrari non poterat. Sic munimentum factum est, quo non modo non intrari, sed ne perspici quidem poterat. Hoc effecerant Nervii, ut iam dixi, teneris arboribus incisis atque inflexis crebrisque in latitudinem ramis enatis et rubis sentibusque interiectis. Cum iter agminis Romani his rebus impediretur, Nervii consilium non omittebant. Mox videbimus, quo consilio Nervii usi sint. Romani locum castris delegerant. Huius loci natura haec erat. Collis erat iuxta flumen Sabim (Francogalli hoc flumen »Sambre« nominant). Hic collis ab summo aequaliter declivis ad flumen Sabim vergebat. Adversus et contrarius huic colli alter collis ab eo flumine nascebatur. Alter collis pari acclivitate erat. Nam qui collem descendit, dicit: Collis declivis est. Qui collem ascendit, dicit, collis acclivis est. Alter collis infimus circa ducentos passus apertus erat. Hic collis ab superiore parte silvestris erat, ut non facile introrsus perspici posset. Intra eas silvas hostes se continebant in occulto; paucae stationes equitum videbantur in aperto loco secundum flumen. Flumen circiter tres pedes altum erat, vel, ut ait Caesar, fluminis altitudo pedum circiter trium erat.

15. Caesar equitatum praemisit. Equitatu praemisso Caesar subsequeretur omnibus copiis. Sed non eadem ratio agminis erat, quam Belgae Nervii nuntiaverant; ratio ordoque agminis aliter se habebat, ac Belgae ad Nervios detulerant. Caesar aliter iter facere consueverat, si hostibus appropinquabat. Quod hostibus appropinquabat, Caesar consuetudine sua sex legiones expeditas ducebat. Post eas sex legiones Caesar impedimenta totius exercitus colloca(ve)rat. Inde duae legiones totum agmen claudebant et impedimentis praesidio erant. Duae

legiones, quae totum agmen claudebant, proxime conscriptae erant; tirones erant. Ceterae legiones veteranae erant. Equites et funditores et sagittarii Romanorum primi adveniunt. Equites cum funditoribus et sagittariis flumen transgressi sunt. Equites Romanorum cum hostium equitatu proelium commiserunt. Equites hostium identidem (hoc est: saepius) se recipiunt in silvas ad suos. Tum rursus ex silva in Romanos impetum faciunt. Cedentes Nervios Romani insequabantur, quem ad finem loca aperta pertinebant. Longius, quam quem ad finem loca aperta pertinebant, Romani insequi non audebant. Interim legiones sex, quae primae venerant, castra muniebant. Opus dimetiebantur; opere dimenso castra munire coeperunt. Tum prima impedimenta exercitus Romani venerunt. Hoc autem consilium Nerviorum erat: Ubi prima impedimenta Romanorum viderimus, subito omnibus copiis provolabimus. Nam tam celeriter impetum facere volebant, ut non ire sicut homines sed volare sicut aves viderentur. Hoc tempus committendi proelii inter Nervios convenerat. Nervii in silvis abditi latebant et intra silvas aciem ordinesque constituerant. Tum ipsi sese confirmaverunt; alius alii dixit: hodie vincemus. Tum Nervii provolaverunt et impetum in equites Romanorum fecerunt. Facile equites Romani a multitudine Nerviorum pulsati et perturbati sunt. Nervii incredibili celeritate ad flumen decucurrerunt, ut paene uno tempore et ad silvas et in flumine et iam in manibus militum Romanorum (Nervii) viderentur. Eadem celeritate adverso colle ad castra Romana contenderunt atque ad eos, qui in opere occupati erant.

16. Apud Romanos dux signum pugnae dabat. Ad hanc rem dux vexillo rubro utebatur. Si dux vexillum rubrum proponebat, militibus pugnandum aut ex castris exeundum erat. Etiam tum, cum Nervii subito impetum facerent, Caesar vexillum proposuit. Sed etiam alia

Caesari agenda erant. Milites in opere erant, nam castra faciebant; ergo hi milites ab opere revocandi erant. Alii milites paulo longius processerant, quia aggere egebant ad vallum faciendum; itaque aggerem petebant; aggeris petendi causa processerant. Hos milites Caesar arcessivit. Praeterea Caesar aciem instruxit. Dux Romanorum plerumque ante pugnam milites cohortabatur. Non solum vexillo, sed etiam tuba signum pugnae dabatur, ut milites signum pugnae viderent et audirent. Quia Nervii celerime impetum faciebant, Caesari omnia uno tempore agenda erant, vexillum proponendum, milites ab opere revocandi, qui processerant, arcessendi, acies instruenda, milites cohortandi, signum dandum. Brevitas temporis et incursus hostium magnam partem earum rerum impediebat. Hae difficultates magnae erant. Sed milites superioribus pugnis exercitati erant; omnes sciebant, quid fieri oporteret; ipsi commode sibi praescribere poterant, quid fieri oporteret; non minus commode milites ipsi sibi praescribere quam ab aliis doceri poterant. Sic scientia et usus militum exercitui subsidio erat. Praeterea apud singulas legiones singuli legati erant. Munitis castris semper legatis licebat discedere; sed Caesar vetuerat legatos ab opere et a legionibus discedere nisi castris munitis. Ergo hae duae res difficultatibus (quas Nervii Romanis attulerant) subsidio erant: scientia militum et quod Caesar singulos legatos a singulis legionibus discedere vetuerat. Legati, qui aderant, nihil iam Caesaris imperium expectabant; propter propinquitatem et celeritatem hostium legati per se administrabant, quae videbantur. Caesar necessarias tantum res imperavit. Necessariis rebus imperatis Caesar ad cohortandos milites decucurrit, quam in partem fors obtulit. Sic Caesar ad legionem decimam devenit.

17. »Pristinae virtutis vestrae memoriam retinete! Nolite perturbari animo! Fortiter sustinete impetum

hostium!» Sic Caesar locutus est; non longiore oratione Caesar decimam legionem cohortatus est, quod hostes iam aderant. Nam non longius hostes aberant, quam quo telum adigi poterat. Tum Caesar decimae legioni signum proelii committendi dedit. Tum Caesar in alteram partem cohortandi causa profectus est. Sed hos milites cohortari non poterat; nam hi milites iam pugnabant; Caesar pugnantibus occurrit. Militibus, qui bene pugnaverant, et centurionibus insignia erant. Haec insignia centuriones et milites ante pugnam accomodaverant. Sed tum ad insignia accomodanda tempus defuit. Immo ad galeas induendas tempus defuit; capita Romanorum tecta non erant. Scuta autem, quibus in proelio corpora tegebantur, ante proelium ipsa tegimentis tecta erant. Si proelium committendum erat, tegimenta scutis detrahebantur. Tum autem etiam ad tegimenta scutis detrahenda tempus defuit. Tanta fuit exiguitas temporis; tam paratus ad dimicandum hostium animus erat. Nec sua quisque signa quaerebat, ne in suis signis quaerendis tempus pugnandi dimitteret; quae quisque prima signa conspexit, ad haec constitit; quam quisque in partem casu devenit, cum ab opere discessisset, ibi constitit et pugnabat. — Exercitus semper instruitur, ut militaris ratio atque ordo postulat. Tum autem exercitus instructus est, ut loci natura et desectus collis et necessitas temporis postulabat. Diversae legiones aliae alia in parte resistebant. Praeterea saepes densissimae interiectae erant, ut antea demonstravimus. His saepibus densissimis interiectis prospectus impediabatur. Sic certa subsidia (copiae, quae pugnantibus defessis subsidio veniunt) collocari non poterant. Neque provideri poterat, quid in quaque parte opus esset, neque omnia imperia ab uno administrari poterant. Itaque non omnes legiones statim vincebant, sed fortunae et eventus varii sequebantur. Tanta rerum iniquitas erat.

18. Omnes milites Caesaris fortiter pugnabant; sed fortuna dirigit eventum; si res iniquae sunt, eventus fortunae varii sunt. Milites legionis nonae et decimae in sinistra parte aciei constiterant. Has legiones aggressi sunt Atrebates. Sed Atrebates iam cursu et lassitudine exanimati erant et multi eorum vulneribus confecti erant. Milites legionis nonae et decimae pila miserunt. Romani pilis emissis Atrebates exanimatos vulneribusque confectos celeriter ex loco superiore in flumen compulerunt. Sic Atrebates, quibus ea pars aciei obvenerat, celeriter victi sunt. Tum Atrebates flumen transire conati sunt. Transire conantes Atrebates Romani insecuti sunt et gladiis magnam partem eorum impeditam interfecerunt. Sed milites legionis nonae et decimae non ad flumen constiterunt, sed transierunt. Non dubitaverunt flumen transire. Sic Romani in locum iniquum progressi sunt. Hostes rursus resistebant; proelium redintegratum est. Sed milites nonae et decimae legionis rursus resistentes hostes redintegrato proelio in fugam coniecerunt. Sic hoc loco milites nonae et decimae legionis vicerunt. Item alia in parte diversae duae legiones vicerunt. Undecima et octava legio cum Viromanduis congressae sunt. Hae duae legiones Viromanduos ex loco superiore profligaverunt. Profligatis Viromanduis hae legiones in ipsis fluminis ripis proeliabantur. Sic quattuor legiones castra reliquerant; tota fere castra a fronte et ab sinistra parte nudata erant. In dextro cornu legio duodecima constiterat. Non magno a legione decima intervallo septima legio constiterat. Has legiones Nervii aggressi sunt. Boduognatus dux Nerviorum erat vel, ut ait Caesar, summam imperii tenebat. Duce Boduognato omnes Nervii confertissimo agmine ad hunc locum contenderunt. Pars Nerviorum legiones aperto latere circumvenire coepit. Pars Nerviorum summum castrorum locum petere coepit. Sic hostes in castris erant. Equites Romani primo hostium impetu

pulsi erant. Pedites levis armaturae cum equitibus ab hostibus pulsi erant. Nam hi pedites cum equitibus una fuerant. Hi equites et pedites pulsi in castra se receperunt. Sed ibi adversis hostibus occurrebant. Itaque equites et levis armaturae pedites rursus aliam in partem fugam petebant.

19. Calones non sunt milites, sed calones exercitum sequuntur. Calones libenter praedantur. Si vident hostes pulsos esse, calones praedandi causa e castris exeunt. Etiam tum calones ab decumana porta ac summo iugo collis conspexerant Romanos vicisse, Romanos victores flumen transisse. Propterea calones praedandi causa egressi sunt. Sed cum respicerent, viderunt hostes in castris Romanis versari. Tum calones celeriter fugiebant vel, ut ait Caesar, praecipites fugae sese mandabant. Alii calones cum impedimentis veniebant. Etiam hi perterriti sunt, cum hostes in castris vidissent; clamabant et fremebant; clamor fremitusque oriebatur; alii aliam in partem perterriti ferebantur. Sic Romani pulsi superatique esse videbantur. Nam multitudine hostium castra Romana complebantur, legiones premebantur et paene circumventae tenebantur; calones, equites, funditores, Numidae diversi dissipatique in omnes partes fugiebant. Tum etiam equites Treveri res Romanas desperaverunt; equites Treveri desperatis rebus Romanis domum contenderunt. Equites Treveri fortissimi sunt; virtutis eorum inter Gallos opinio singularis est. Sed tum equites Treveri omnibus, quas narraui, rebus commoti domum contenderunt et civitati renuntiaverunt: Romani pulsi superatique sunt; hostes castris impedimentisque Romanorum potiti sunt. Caesar autem non desperavit. Caesar legionem decimam cohortatus erat; ab cohortatione decimae legionis Caesar ad dextrum cornu profectus est. Ibi Romani urgebantur. Milites legionis duodecimae signa in unum locum contulerant, ne hostes singula signa capere possent. Sed

signis in unum locum collatis milites conferti erant; sic milites Romani ipsi sibi ad pugnam impedimento erant. Omnes centuriones quartae cohortis occisi erant; etiam signifer quartae cohortis interfectus erat; signum amissum erat. Reliquarum cohortium omnes fere centuriones aut vulnerati aut occisi erant. Etiam Publius Sextius Baculus primipilus (primus centurionum), vir fortissimus, multis gravibusque vulneribus confectus erat, ut iam se sustinere non posset. Reliqui centuriones et milites iam tardiores erant; nonnulli ab novissimis proelium deserebant, deserto proelio excedebant acie ac tela vitabant. Hostes autem semper a fronte subibant; numquam intermittebant a fronte subeuntes. Praeterea hostes ab utroque latere instabant. Res in angusto erat; nullum subsidium erat, quod submitti poterat. Haec omnia Caesar, Romanorum imperator, videbat.

20. Caesar uni ab novissimis militi scutum detraxit, quod ipse sine scuto venerat. Tum Caesar in primam aciem processit. Caesar centuriones nominatim appellavit, reliquos milites cohortatus est. Dixit: »Signa inferte et manipulos laxate, quo facilius gladiis uti possitis«. Caesaris adventu militibus spes illata est; animus redintegratus est. Tum milites in conspectu imperatoris pugnant. In conspectu imperatoris omnes milites melius pugnant; tum milites etiam in extremis suis rebus operam navare capiunt. Hoc pro se quisque faciunt; itaque omnes idem faciunt. Sic impetus Nerviorum paulum tardatus est. Sic duodecima legio servata est. Septima legio iuxta constiterat. Etiam septima legio ab hoste urgebatur. Quod cum vidisset, Caesar tribunos militum monuit, ut paulatim legiones coniungerent. »Convertite signa«, inquit, »conversa signa in hostes inferte«. Quo facto alii aliis subsidium ferebant neque timebant, ne aversi ab hoste circumvenirentur. Tum milites audacius resistere et fortius pugnare coeperunt. Duae legiones

autem in itinere in novissimo agmine impedimentis praesidio fuerant. Iis proelium nuntiatum est; proelio nuntiato hae legiones cursum incitabant, ut auxilium ferrent. Interea Titus Labienus cum decima legione castris hostium potitus erat. Castra hostium in loco superiore erant. Itaque Labienus ex loco superiore conspicari poterat, quae res in castris Romanis gererentur. Labienus milites decimae legionis Caesari subsidio misit. Milites decimae legionis ex equitum et calonum fuga cognoverunt, quo in loco res esset quantoque in periculo et castra et legiones et imperator versaretur. Propterea hi milites quam celerrime cucurrerunt vel, ut ait Caesar, nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt. Horum adventu res se commutaverunt. Tanta rerum commutatio facta est, ut etiam vulnerati et calones pugnarent. Milites, qui vulneribus confecti procubuerant, scutis innixi sunt (ut stare possent) et proelium redintegraverunt. Item calones conspicati sunt hostes perterritos esse. Tum calones inermes hostibus armatis occurrere ausi sunt. Equites autem, qui antea fugerant, fugae pudebat; turpitudinem fugae delere volebant virtute. Itaque equites omnibus in locis pugnae se legionariis militibus praeferebant.

21. Ita omnes res magnopere (com)mutatae sunt. Tanta rerum commutatione facta hostes intellexerunt in extremis viribus positam esse spem salutis. Erant igitur hostes in extrema spe salutis; hoc est hostes vix sperare poterant vitam et libertatem suam integras vel salvas fore. Sed etiam in extrema spe salutis hostes maximam virtutem ostenderunt vel praestiterunt. Ii (hostium milites), qui in primis ordinibus constituti erant, mox necati sunt; sed cum hi necati essent, alii in his (necatis) pedem ponebant. Caesar dicit: proximi (hoc est milites, qui in proximis ordinibus constituti erant) necatis vel jacentibus insistebant. Hi proximi in corporibus mortuorum stabant

et ex corporibus eorum pugnabant. Sed mox etiam hi (proximi) ceciderunt vel dejecti sunt. His dejectis acervus cadaverum major factus est; vel, ut ait Caesar, cadavera coacervata sunt. Coacervatis cadaveribus (ii), qui supererant, cum Romanis pugnabant; hoc est ii, qui supererant, e tumulo cadaverum tela in Romanos conjiciebant. Pila autem a Romanis missa (hostes) manibus capiebant vel interceptiebant; hoc est: hostes pila manibus capiebant, dum (pila) a Romanis missa per aerem feruntur. Tum hostes pila intercepta remittebant (in Romanos). Tanta igitur erat hostium virtus, ut, cum primi (hostium) cecidissent, proximi ex eorum corporibus pugnarent; hostium virtus erat etiam tanta, ut cadaveribus coacervatis (hostes) e tumulo tela in Romanos conjicerent.

Itaque Caesar non mirabatur, quod Nervii, homines tantae virtutis, difficillimas res perfacile perfecissent. Reminiscimini (velim), quas res difficillimas Nervii jam ausi sint perficere! Nervii jam ausi erant latissimum flumen transire (quem?); tum ausi erant altissimas ripas ascendere (quas?); ausi erant denique iniquissimum locum subire (quem?). Ex his rebus difficillimis Nervii facilia (res faciles) fecerunt animi magnitudine vel virtute sua; vel, ut ait Caesar, animi magnitudo ex difficillimis facilia redegerat. Etiam nos non miramur Nervios, cum homines tantae virtutis fuerint, hoc perfecisse. Potui etiam ita dicere: non nequiquam judicare (= putare) debemus Nervios hoc fecisse; vel, ut ait Caesar, non nequiquam judicari debebat (Nervios), homines tantae virtutis, haec facere ausos esse.

22. Hoc proelio gens Nerviorum — ut Caesar quidem putat — prope deleta est; tanta enim multitudo eorum interfecta est, ut vix quingenti relinquerentur, qui arma ferre possent. Ceciderunt tam multi, ut vix pauci relinquerentur, quibus nomen Nerviorum tribui posset. Itaque hoc proelio gens ac nomen Nerviorum prope

exitio affecta sunt vel, ut ait Caesar, prope ad internicionem redacta sunt. Gente ac nomine Nerviorum autem prope ad internicionem redacto Nervii, qui supererant, legatos ad Caesarem miserunt. Missi sunt autem hi legati a majoribus natu. Majores natu Nerviorum, ut supra dictum est, una cum mulieribus et pueris in paludes et aestuaria coniecti erant. Quid est aestuarium? Hoc vocabulum certe nunquam audivistis. Explicandum est ergo, quid significet aestuarium! Multi vestrum certe non ignorant, certis temporibus aquam maris per sex horas in oram influere, per sex horas sequentes autem refluere in mare. Aquis in terram influentibus Romani nomen aestus (gen. sing.) indebant. Temporibus aestus loca planiora, quae ad oras maritimas sita sunt, aqua maris implentur. Talia loca (inundata) apud Romanos appellabantur »aestuaria«.

Sed in narrando pergamus: Majoribus natu Nerviorum, (quos in aestuaria coniectos esse dixeramus), victoria Romanorum nuntiata est. Victoria Romana nuntiata majores natu Nerviorum sic cogitaverunt: victores omnia facere possunt, quae volunt; victores nulla re impediuntur, quominus omnia faciant, quae iis placeant. Nihil igitur victoribus impeditum est. Victi scire non possunt, utrum victores in eos usuri sint misericordia an crudelitate. Hoc victis incertum est; nam (victi) toti in manibus victorum sunt. Victis igitur nihil certum vel tutum est. Romani victores sunt, nos victi sumus. Itaque legatos ad Caesarem mittamus nosque ei dedamus! Haec fuit sententia majorum natu; ceterique Nervii, qui supererant, consenserunt. Miserunt igitur majores natu ad Caesarem legatos omnium, qui supererant, consensu. Hi legati apud Caesarem calamitatem civitatis suae commemoraverunt. In commemoranda civitatis calamitate legati dixerunt haec: »e sexcentis nostris senatoribus relictis sunt solum tres, et e sexaginta milibus hominum relictis sunt vix quin-

genti, qui arma ferre possunt. Itaque nos tibi dedimus, Caesar!«

Repeto: hac pugna facta et nuntiata majores natu Nerviorum — cum victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum (esse) arbitrarentur, — legatos ad Caesarem miserunt seque ei dediderunt (omnium consensu). Hi legati mandata sua ad Caesarem detulerunt; in commemoranda civitatis suae calamitate legati Caesari dixerunt e sexcentis (senatoribus) se ad tres senatores (reductos esse), ex hominum milibus sexaginta se ad quingentos reductos esse.

23. Qua (hac) legatione audita Caesar cogitavit: si his miseris Nerviiis parceo, in miseros et supplices misericordia uti videor. — Hos (Nervios, qui supererant) igitur Caesar diligentissime conservavit, ut in supplices misericordia usus (esse) videretur. Qua etiam de causa Caesar hos (Nervios) finibus atque oppidis suis uti (in finibus oppidisque suis habitare) jussit. Finitimis Nerviorum autem Caesar imperavit, ut se suosque (quibus finitimi imperabant) ab injuria et maleficio prohiberent; hoc est Caesar vetuit, ne finitimi Nerviiis (ali)quid mali facerent.

Aduaticis, (de quibus supra scripsimus), haec pugna nuntiata est, cum (Aduatici) omnibus copiis suis Nerviiis auxilio venirent; nuntiata autem hac pugna Aduatici ex itinere (statim) domum reverterunt; timebant enim, ne ipsi a Romanis vincerentur. Domi Aduatici omnia oppida et castella deserebant; cunctis oppidis castellisque desertis omnia sua in unum oppidum natura egregie munitum contulerunt. Caesar nobis etiam dicit, quo modo hoc oppidum natura munitum sit. Si quis hoc oppidum circumibat, in omnibus ejus partibus altissimas rupes videbat. De rupibus despici potest in omnes partes. Itaque Caesar dicere potuit: oppidum altissimas rupes despectusque habebat ex omnibus partibus (in circuitu). Una ex parte autem erat rupes leniter modo acclivis; per hanc rupem hostis aditum ad oppidum

habebat. Ex hac igitur parte aditus leniter acclivis relinquebatur. Hic aditus autem in latitudinem non amplius ducentorum pedum habebat. Hunc locum, (ubi hostes oppidum facilius adire poterant), Aduatici duplici altissimo muro munierant; tum saxa magni ponderis et trabes praeacutas in muro collocabant, quae in hostem conjicerent.

24. Hoc oppidum Caesar oppugnavit. Priusquam autem Caesar nobis narravit, quomodo Romani hoc oppidum oppugnaverint, pauca (verba) praemittit. Nonnullis verbis enim Caesar nobis explicat Aduaticos e Cimbris Teutonicisque prognatos esse. Cimbri Teutonique antiquis temporibus per provinciam Romanam iter in Italiam fecerunt, ut totam Italiam expugnarent. Hoc vos memoria tenere puto. Cimbri Teutonique, cum hoc iter facerent, omnia impedimenta sua secum portare non poterant; quomobrem partem eorum citra Rhenum flumen (hoc est in sinistra fluminis ripa) in Belgarum finibus deposuerant. Impedimentis depositis Cimbri Teutonique hoc loco sex milia hominum ex suis (militibus) reliquerunt. Hos milites Cimbri Teutonique una (cum impedimentis) reliquerunt (ut) custodiam ac praesidium. Hi (sex milia hominum) post eorum hoc est Cimbrorum Teutonorumque interitum vel obitum multos annos a (gentibus) finitimis sollicitati vel exagitati sunt. Aliis temporibus (alias) enim hi custodes in finitimum fines bellum inferebant; aliis temporibus (alias) hi custodes bellum a finitimis in fines suos (custodum) illatum defendebant; hoc est, custodes se defendebant a finitimis. Postremo pax facta est. Pace denique facta custodes hunc locum sibi domicilium (vel domicilio) delegerunt. Hoc custodes fecerunt consensu eorum omnium (finitimorum). Ex his custodibus (Cimbris Teutonicisque) prognati sunt Aduatici.

Repeto: Cimbri Teutonique — cum iter in Italiam facerent — impedimentis citra Rhenum flumen depositis sex milia militum suorum custodiam ac praesidium reliquerunt.

Hi custodes diu a finitimis exagitati sunt — cum alias bellum inferrent, alias illatum defenderent —; pace facta hunc locum sibi domicilio delegerunt. Ex his custodibus autem prognati sunt Aduatici.

25. Mox exercitus Romanorum ad oppidum Aduaticorum oppugnandum advenit. Primo adventu exercitus Romani Aduatici crebrò (= saepe) ex oppido suo oppugnato exhibant vel excurrebant. Hoc Aduatici fecerunt, ut extra muros pugnarent, hostesque oppugnantes muris depellerent; vel, ut ait Caesar, Aduatici primo adventu Romanorum crebras excursiones faciebant. In his excursionibus Aduatici parvulis modo proeliis cum Romanis pugnabant vel contendeabant. Postea Romani oppidum Aduaticorum vallo castellisque circummuniverunt. Hoc vallum quindecim milia passuum longum erat (in circuitu). Multis locis oppidum etiam castellis circummunitum est; vel, ut ait Caesar, Romani oppidum Aduaticorum crebris castellis circummuniverunt. Tum Aduatici oppido suo sese continebant, hoc est in oppido manebant. Itaque Aduatici vallo quindecim milium passuum in circuitu crebrisque castellis circummuniti oppido sese continebant. Tum autem Romani ad oppidi muros vineas egerunt et aggerem jecerunt vel exstruxerunt. Postremo turrim construxerunt vel constituerunt, quae magnum spatium ab oppido aberat (procul ab oppido). Talia opera Galli antea non viderant. Itaque Galli, ubi (= cum) — vineis actis et (antea) aggere exstructo — turrim procul constitui viderunt, primum Romanos inridere. (inf. historicus); mirabantur enim Aduatici, quod a Romanis talia opera (vel tanta machinatio) ab tanto spatio instruerentur. Sed Aduatici Romanos non solum inridere, sed etiam maledictis in eos uti, vel eos vocibus (contumeliosis) increpitare. Qua de causa Aduatici Romanos inridebant et vocibus increpitabant? Solum quod machinationem eorum mirabantur? Non ita res se habebat, sed alia etiam erat causa. Sic enim

Aduatici cogitabant: Romanis brevia (parva) corpora sunt. Quomodo tantam turrin movere poterunt? Quibus viribus confisi homines (praesertim homines tantulae staturae) hoc facient? Quibus manibus igitur Romani, homines tam parvi (tantulae staturae), tanti oneris turrin moturos esse sese confiderent? Inridemus et contemnimus eos. — Aduaticis, ut omnibus Gallis, magna corpora erant. Propterea Aduatici magnum corpus suum cum brevi corpore Romanorum comparantes breve corpus Romanorum contemnebant. Vel, ut ait Caesar, Aduaticis — prae magnitudine corporum suorum — brevitatis Romanae contemptui erat.

26. Sed subito Aduatici viderunt turrin moenibus appropinquare. Ubi Aduatici tanta opera moveri viderunt, valde mirati sunt. Nam ignotus vel novus iis erat hic modus oppugnandi; machinae hujus formae vel speciei enim apud Gallos in usu non erant. Inusitata igitur et nova haec species erat Aduaticis. Nova et inusitata specie autem commoti Aduatici Romanos timere coeperunt. Itaque legatos ad Caesarem miserunt de pace, hoc est ut pacem impetrarent. Hi (legati) ad hunc modum (= ita fere) locuti sunt: putamus vos a deis adjuvari; nam existimare non possumus vos sine ope divina bellum gerere, qui (= cum) tantas machinationes promovere possitis. Itaque nos nostraque omnia vobis dedimus et vestrae potestati permittimus. Repeto: legati dixerunt, se (et omnes Aduaticos) non existimare Romanos sine ope divina bellum gerere, qui machinationes tantae altitudinis tanta celeritate promovere possent; itaque Aduaticos se suaque omnia potestati Romanorum permittere. Sed etiam haec legati dixerunt Caesari: »petimus (abs) te, Caesar, ne nos afficias hac una re: ne spolies nos armis nostris! Hoc unum precibus nostris impedire volumus, quominus armis privemur. Hoc unum petimus (abs) te et deprecamur! Audivimus te semper clementia et mansuetudine in hostes

usum esse; hoc memoria tenentes putamus te etiam in nos nihil gravius staturum esse. Pro clementia et mansuetudine tua putandum est te nos conservaturum esse. Itaque, si forte (fortasse) statuisses, nos conservandos esse, ne armis nos despoliaries! Omnes fere finitimi (nostri) inimici nobis (= nostri) sunt et virtuti nostrae invident. Armis traditis nos ab iis defendere non possumus. Sic finitimi nos facile vincere poterunt. Si autem in eum casum deduceremur, hoc est si vinceremur a finitimis nostris, nos vobis dedere praeferremus; praestaret enim nobis (= melius nobis esset) quamvis fortunam (= res adversas) a Romanis pati quam a finitimis per cruciatum interfici; nam consuevimus inter finitimos nostros dominari. Omnia malumus a Romanis pati quam cruciatibus affici ab iis, inter quos dominari consuevimus.«

27. Quis vestrum scit, quid sit aries? Plerique vestrum dicent — et recte quidem — vocabulum »aries« significare ovem mascul(in)um (marem). Sed »aries« significat etiam aliam rem. Aries appellabatur machina quaedam, quae apud Romanos in usu erat ad oppida oppugnanda. Ariete Romani muros et portas hostium rumpere conabantur. Aries erat tignum firmum, cuius caput (= pars superior) ferro praefixum erat. Capiti hujus tigni forma capitis arietis (= ovis maris) erat. Hac de causa machina nomen arietis accepit. (Tignum ipsum plerumque alio tigno adfixum erat et una cum hoc in infimo tabulato turris ferebatur. Nonnullis exercitibus domiculi erant ad usum arietis facti; hoc est tigna, de quibus diximus, non in tabulato turris sed in hoc domiculo ferebantur. Domiculus ipse testudo arietaria appellabatur. Caput arietis cum parte tigni eminebant e testudine arietaria aut ex infimo tabulato turris). Aries ad muros oppidi hostium movebatur. Apud Romanos haec erat belli consuetudo: si milites (Romani) murum hostium ariete rumpere conati erant, oppidanis non parcebatur, cum oppidum expug-

natum esset, (= oppido expugnato). Itaque, si aries, ut ait Caesar, murum attigerat, hostes — oppido expugnato — se dedere cogebantur (sub conditione a victoribus praescripta): si hostes autem jam antea (= priusquam aries murum attigerat) se dederant, sperare poterant se victoris clementia affectum iri. Hac belli consuetudine Caesar etiam in Aduaticos uti volebat. Propterea Caesar legatis eorum ita respondit: »si vos dedidissetis, priusquam aries murum attigisset, civitatem vestram conservarem; sed hoc facerem magis consuetudine belli commotus quam merito vestro. Nunc autem, cum aries murum vestrum attigisset, pacem impetrare non poteritis, nisi arma tradideritis; vobis nulla conditio (pacis) est nisi armis traditis. Itaque, quaecunque in vos statuam, arma vobis imprimis sunt tradenda. Sed unum faciam ad populum vestrum servandum; faciam id, quod etiam in Nerviiis feci: imperabo finitimis, ne vobis (ut dediticiis populi Romani) injuriam inferrent.« Hanc rem, hoc est haec omnia, quae Caesar dixerat, Aduaticorum legati ad suos nuntiaverunt. Aduatici — hac re nuntiata — se imperata facturos esse dixerunt; vel, ut ait Caesar, Aduatici, quae (a Caesare) imperarentur, facere dixerunt. Caesar hoc loco pro »facturos esse« dicit »facere«.

28. Tum hostes (Aduatici) arma sua in fossam jecerunt. Sed armorum magna multitudine in fossam jacta tamen circiter tertia pars armorum celata est. Tanta autem erat multitudo armorum (in fossam dejecta), ut acervi armorum prope summam altitudinem muri aggerisque adaequarent; hoc est acervi armorum tantae erant altitudinis quantae (erant) murus et agger. Tamen — ut postea perspectum est — circiter tertia pars armorum in oppido retenta est. His rebus factis portae patefactae sunt. Portis patefactis Aduatici eo die pacem impetraverunt vel pace usi sunt.

Sub vesperum Caesar portas claudi et milites ex oppido exire jussit; timebat enim, ne oppidani a militi-

bus (aliquam) injuriam acciperent. Hostes hoc videntes putaverunt Romanos praesidia deducturos (esse) aut indiligentius servaturos esse, (quam soliti erant). Sperabant Aduatici Romanos hoc facturos esse deditioe facta; (hoc est quod deditio facta erat hostesque nondum timendi erant). Qua (hac) spe freti Aduatici ita inter se locuti sunt: »Nocte omnibus copiis eruptionem faciamus! Pugnemus partim iis armis, quae celavimus et retinuimus, partim scutis e cortice factis! Sed faciamus scuta etiam e viminibus intextis eaque pellibus inducamus! Hoc autem tum modo faciendum est, cum temporis brevitatis vel exiguitas hoc postulat. At repentino (= repente) eruptio facienda est media nocte (tertia vigilia). Hoc tempore enim ascensus ad munitiones Romanas minime difficilis (minime arduus) est.« Hoc consilium oppidani inierunt, antequam eruptio facta est. Itaque Aduatici, — consilio ante inito — tertia vigilia repentino eruptionem fecerunt; crederant enim Romanos — deditioe facta — non tam diligenter praesidia sua servaturos esse. Fecerant autem eruptionem Aduatici partim armis celatis, partim scutis — (factis e cortice aut e viminibus intextis); haec (quae) scuta Aduatici subito (= brevi tempore) pellibus induxerant.

29. Caesar hunc casum providebat. Propterea jam antea jusserat quodque periculum imminens statim toti exercitui Romanorum (oppugnantium) significari. Sed fortasse multi vestrum ignorant, quomodo Romani significaverint periculum adesse. Itaque hoc vobis explicandum est. Vallis a Romanis factis (dat.) adpositae erant turres aequalibus spatiis interjectis (abl. abs.) Nocte — periculo adeunte — in summis turribus taedae flagrantis vel faculi (fax, faces) ostendebantur; hi faculi in eam partem tenebantur, unde periculum imminebat. Primo in una turri faculus ostendebatur, tum in secunda, tum in tertia, deinde in ceteris turribus; postremo in omnibus

turribus faculi tenebantur et deinceps ab omnibus partibus exercitus videbantur. Hoc modo milites Romani celeriter certiores fiebant periculum adpropinquare. Sed nunc — hac re explicata — pergamus in narrando! Caesar, ut diximus, jam antea ignibus significari jusserat, si hostes ex oppido erumpere conarentur. Et itaque eruptio facta celeriter ignibus significata est. Celeriter autem ignibus significatione facta eo (= ubi eruptio facta est) concursus est, (a militibus Romanis). Tum pugnatum est. Hostes ita acriter pugnaverunt, ut in extrema spe salutis a viris fortibus pugnari debuit. At hostes eo fortius pugnare debuerunt, quod iis pugnandum erat loco iniquo, et (quod iis pugnandum erat) contra eos, qui ex vallo turribusque tela jaciebant; contra eos enim defensio erat difficilior, qui (= cum) de loco superiore pugnarent. Tanta virtute pugnari debuit a viris fortibus, cum in una virtute omnis spes salutis consisteret. Tamen — ad (= circiter) quattuor milia hominum (Aduaticorum) occisa sunt. Occisis ad hominum milibus quattuor reliqui in oppidum rejecti sunt. Postridie (ejus diei) cum jam nemo oppidum defenderet, portae refractae sunt. Portis refractis atque militibus Romanis (in oppidum) intromissis Caesar omnem vel universam praedam vendidit. Praeda in oppido expugnato facta apud Romanos in usum publicum venire solebat; censebatur enim haec praeda rei publicae esse. (Verbum venire hoc loco non ductum vel derivatum est a verbo venio, veni, ventum, venire. A quo alio autem verbo?) (Homines), qui hanc praedam (a re publica) emebant et postea aliis vendebant, sectores appellabantur. Priusquam autem sectores praedam emptam aliis vendiderunt, eam in parvas partes dividere vel quasi secare solebant. Itaque haec praeda, quae in usum publicum venire solebat, sectio appellabatur. Caesar igitur universam sectionem oppidi Aduaticorum (in usum publicum) vendidit. Venierunt omnino capitum vel hominum quinquaginta tria milia. De

hoc numero Caesar certior factus est ab iis, qui praedam publicam emerant. Ab iis igitur, qui emerant, relatus est ad Caesarem numerus capitum milium quinquaginta trium.

30. Eodem tempore Caesar a Crasso certior factus est plerosque nationes maritimas in dicionem potestatemque populi Romani redactos esse. His rebus gestis omnis Gallia pacata est. Omni Gallia pacata barbari Caesarem admirabantur, quod hoc bellum tanta cum gloria confecisset. Hoc bello confecto barbari exercitum Romanum vinci non posse opinabantur. Tanta opinio hujus belli (gen. obj.) ad barbaros perlata est, ut omnes nationes Gallorum legatos ad Caesarem mitterent. Etiam eae nationes, quae (regiones) trans Rhenum incolebant, legatos ad Caesarem miserunt; hae nationes legatos miserunt, qui pollicerentur se obsides duros (esse) et imperata facturos esse. Sed Caesar in Italiam Illyricumque properabat, hoc est properaturus erat. Itaque Caesar has legationes reverti iussit initio proximae aetatis (vel proxima aetate inita). Ipse legiones in hibernacula duxit; deduxit autem Caesar legiones ad hiemandum in eas civitates, quae propinquae erant his locis, (ubi bellum gesserat). Legionibus (in eas civitates) in hibernacula deductis Caesar in Italiam profectus est.

Post hoc bellum confectum Romae deis gratiae actae sunt per quindecim dies, quod Caesarem in hoc bello gerendo adjuvassent. Quindecim dies populus Romanus Romae deos oravit iisque supplicatus est. Haec supplicatio quindecim dies in Caesaris honorem celebrata est. (supplicatio quindecim dierum). Ejusmodi celebratio vel supplicatio interdum a senatu decernebatur in honorem ducis Romanorum, qui de re publica bene meritus erat. Etiam Caesari haec supplicatio in quindecim dies a senatu decreta est. Nulli — ante hoc bellum confectum — supplicatio in plus quam quattuordecim dies decreta est; in

Caesaris honorem autem quindecim dies festi celebrabantur, — quod igitur usque ad hoc tempus (= usque ad hoc bellum confectum) accidit nulli. Hi dies festi celebrati sunt, ubi primum Caesar Romam pervenit; jam notum erat enim senatui populoque Romano bellum bene confectum esse. Nam Caesar statim post bellum confectum senatui litteras scripsit. Ex his litteris senatus cognovit, quibus rebus bellum confectum sit. Itaque ob eas res — ex litteris Caesaris — in dies quindecim supplicatio decreta est. (»Ex litteris« Caesaris significat igitur: cum senatus litteras Caesaris accepisset, quibus Caesar senatui scripsit bellum bene confectum esse.)

31. Anno sexcentesimo nonagesimo septimo ante urbem conditam, id est quinquagesimo octavo ante Christum natum Caesar, ut demonstratum est libro secundo, omnem Galliam pacavit; tum in Italiam profectus est. Cum Caesar in Italiam proficisceretur, Servium Galbam cum legione duodecima in fines Nantuatum, Veragrorum, Sedunorum misit. (Caesar dicit: in Nantuates, Veragros, Sedunosque). Hae gentes finitimae erant Allobrogibus. Fines Allobrogum siti sunt in provincia Romana. Provinciam Romanam Gallicam (= in Gallia meridionali sitam) Caesar omnesque Romani appellabant »provinciam« vel »provinciam nostram«. In hujus provinciae parte septentrionali erant fines Allobrogum, inter flumen Rhodanum, flumen Isaram, lacum Lemannum Alpesque.

Mercatores Romani saepe ad Alpes ibant et merces secum portabant. Tum homines, qui Alpes incolebant, saepe merces rapiebant. Si mercatores merces defendebant, saepe mercatores a latronibus interficiebantur. Sic iter per Alpes magno cum periculo erat. Interdum latrones dicebant: ite cum mercibus vestris, sed solvite nobis portoria vel vectigalia. Tum mercatores portoria magna solvebant, ne merces a latronibus raperentur. Sic mercatores iter per Alpes magno cum periculo magnisque

cum portoriis facere consue(ve)rant. Caesar volebat hoc iter patefieri. Propterea Servium Galbam misit. Haec fuit causa mittendi. Fuit igitur causa mittendi, quod Caesar iter per Alpes patefieri volebat. Si legio Romana in Alpibus hiemabit, facile mercatores se contra latrones defendent. Itaque Caesar Galbae dixit: permitto tibi, uti (= ut) in his locis legionem colloques hiemandi causa; hoc facies, si opus esse arbitraberis.

32. Galba aliquot proelia fecit; his proeliis hostem vicit. Ergo proelia erant secunda. Galba aliquot secundis proeliis factis castella hostium expugnavit. Compluribus castellis expugnatis undique ab iis, qui Alpes incolebant, legati ad Caesarem missi sunt. Tum obsides dati sunt, pax facta est. Legatis missis obsidibusque datis et pace facta Galba duas cohortes duodecimae legionis in Nantuatum finibus collocare constituit. Ipse cum reliquis ejus legionis cohortibus Octoduri, in vico Veragrorum, hiemare constituit. Octodurus vicus positus est in valle. Juxta hanc vallem parva vel non magna planities sita est; vel planities (valli) adjecta est. Haec vallis (cum vico Octoduro) planitiesque adjecta undique altissimis montibus continentur. Vicus Octodurus igitur positus in valle — non magna planitie adjecta — montibus continetur. Flumine Rhodano Octodurus in duas partes dividebatur; utramque partem Galli incolebant, id est Veragri, qui erant Galli. Galba Gallis non confidebat. Itaque Galba, cum milites suos in vico Octoduro collocaret, ita cogitavit: facile fieri potest, ut Galli militibus meis aliquid mali facere conentur. Hoc evitare volo. Ad hoc evitandum alteram vici partem militibus meis attribuam; quam (= hanc) partem a Gallis (vacuam) relinquere volo; alteram partem trans flumen positam Gallis concedam. Ita Galba fecit: alteram vici partem Gallis concessit, alteram vacuam a Gallis relictam cohortibus attribuit; hanc partem vallo fossaque munivit.

Itaque Galba milites suos in vico Octoduro collo-

cavit, ut per hiemem in castris manerent; vel, ut ait Caesar, Galba copias suas in hiberna duxit. Eo (= in vicum Octodurum) Galba frumentum comportari jussit. Ita complures dies hibernorum transierunt. Interdum Galba milites (plerumque equites) in finitimas regiones misit, qui hostium consilia explorarent. Tales milites appellabantur exploratores. Hi exploratores igitur consilium Gallorum exploraverunt.

33. Quod consilium Galli ceperunt? Galli bellum subito renovare et legionem opprimere constituerunt. Galli ita cogitaverunt: Romanis solum una legio est, neque plenissima est (haec legio); hoc est non omnes milites, e quibus haec legio constat, adsunt Octoduri. Absunt duae hujus legionis cohortes, quae in Nantuatibus collocatae sunt. Hae duae cohortes totae absunt vel detractae sunt; hoc est: ne unus quidem miles ex numero eorum, qui in his cohortibus militant, adest Octoduri. Sed etiam ceterae hujus legionis cohortes non semper plenae adsunt Octoduri. Nam temporibus singuli milites harum cohortium absunt. Interdum enim singuli milites mittuntur e castris commeatus petendi causa. Itaque duabus cohortibus detractis et compluribus (cohortibus) singillatim absentibus legio non plena vel non plenissima est. Pauci ergo sunt milites in hac una legione; propter paucitatem (militum) hanc legionem despiciere possumus. Ne primum quidem nostrum impetum sustinebunt. Accedit, quod Romanis iniquus est hic locus ad pugnandum. Nos enim e montibus in vallem decurrere et tela in hostem conjicere possumus. Nunc tempus adest ulciscendi. Interficiamus hos Romanos, quos implacabili odio persequimur! Romani liberos nostros (a nobis) abstraxerunt, ut obsides Romanorum essent et nominarentur. (Sub) nomine obsidum liberi a nobis abstracti sunt. Quis nostrum non dolet hoc factum esse? Et Romani liberis nostris (abstractis) certe non erunt contenti; nos ipsos terramque nostram in potestatem suam redacturi sunt. Dicunt quidem

Romani se Alpium culmina occupare, ut iter per ea facere possint; non dicunt verum. Romani hostes nostri sunt implacabiles. Conabuntur ergo culmina Alpium occupare, ut ea in perpetuum tempus possideant; conabuntur fines nostros provinciae suae finitimae adjungere. Quis nostrum hoc sibi persuasum non habet?

Repeto ea, quae Galli cogitaverunt: primum Galli legionem propter paucitatem despiciebant; tum Galli existimabant, impetum suum propter iniquitatem loci a Romanis sustineri non posse. Accedebat, quod Galli dolebant liberos suos abstractos esse; accedebat etiam, quod Galli sibi persuasum habebant Romanos non solum itinerum causa sed perpetuae possessionis causa ea loca occupare conari.

34. Itaque Galli aliquot de causis consilium belli renovandi ceperunt. De hoc consilio autem Galba per exploratores certior factus est, cum complures dies hibernorum transissent. Exploratores praeterea nuntiaverunt jam omnes incolas ex ea parte vici, quam Galba Gallis concesserat, egressos esse vel discessisse. Sed Galba ab exploratoribus etiam certior factus est montes impendentes (Caesar dicit: qui impenderent) a maxima multitudine Gallorum teneri. Ut subito Galli in his montibus viderentur, (id) igitur aliquot de causis acciderat.

Galba non existimaverat Gallos bellum renovaturos esse; nam deditio facta erat et obsides accepti erant. Propterea Galba, cum nihil de bello (= belli causa) sibi timendum esse existimaret, nec opus hibernorum plene perfecit, nec castra plene munivit, nec de frumento reliquoque commeatu satis providit. Itaque, cum Galba de Gallorum consilio per exploratores certior factus esset, de rebus maxime necessariis nihil satis erat provisum. (Nuntium Romani non solum hominem appellant, qui aliquid nuntiat, sed etiam id, quod nuntiat, nuntius appellatur). His nuntiis (per exploratores) acceptis Galba cele-

riter consilium convocavit. Consilio convocato Galba sententias eorum, quos convocavit, exquirere coepit.

In hoc consilio nonnulli dicebant: jam omnia fere superiora loca multitudine armatorum completa conspiciamus. Itinera nobis interclusa sunt; nemo nobis subsidio venire potest, nemo nobis supportare potest commeatus. Cum autem interclusis itineribus nec subsidio (nobis) veniri (possit), nec commeatus (nobis) supportari possint, jam de salute desperamus. Tantum repentini periculi (gen. part.) nobis accidit praeter opinionem. Quid nobis facere relinquitur desperata salute? Relinquamus impedimenta, faciamus eruptionem, contendamus ad salutem iisdem itineribus, quibus huc pervenimus!

35. Sic nonnulli loquebantur in consilio et ejusmodi sententias dicebant. Iis, qui sic loquebantur, plerique vel major pars ita respondit: Hoc consilium, quod vos capere voluistis, ad extremum reservemus! (hoc est ad id tempus, ubi de omni salute desperabimus). Sed interim rei eventum experiamur et castra defendamus! Sic major pars loquebatur, et denique id factum est, quod fieri majori parti placuit. Repeto: Galba — deditione facta — nihil de bello timebat. Sed nuntii allati sunt Gallos pugnam parare. Itaque Galba, cum de necessariis rebus non satis providisset, his nuntiis acceptis consilium convocavit. In hoc (vel quo in) consilio cum Romani prope jam de salute desperarent, nonnullae sententiae dicebantur. Erant autem hae sententiae ejusmodi, ut Romani — eruptione facta — i(i)sdem itineribus ad salutem contenderent, quibus eo (= in vicum Octodurum) pervenissent. Majori tamen parti placuit — hoc consilio ad extremum reservato — castra defendere.

Sed Romani ea, quae in consilio constituerant, diligenter perficere non potuerunt; non multum enim intererat temporis inter consilium Romanorum et impetum ab hostibus factum. Ergo temporis non satis reperiebatur

rebus ad pugnam necessariis collocandis et administrandis (= diligenter perficiendis). Itaque breve (temporis) spatium interjectum est, (tam breve), ut vix Romanis tempus daretur iis rebus, quas constituissent, collocandis et administrandis; brevi igitur spatio interjecto ab hostibus signum datum est ad impetum faciendum. Signo dato hostes ex omnibus partibus decurrerunt et in vallum, ubi Romani erant, lapides et gaesa coniecerunt. Fortasse nescitis, quid sit gaesum? Gaesum significat pilum vel lanceam celticam ex aere factam. Gaesum vocabulum celticum est atque idem significat ac vocabulum germanicum »Ger«; quod (= hoc) invenimus etiam in nomine proprio »Germani«. Germanus significat virum, qui pilo vel lancea armatus est.

36. Primo Romani, donec vires eorum integrae erant, — vel viribus integris — fortiter repugnauerunt. Milites Romanorum e loco superiore (= e vallo) nullum telum frustra mittebant. Ubi primum aliqua pars (Caesar dicit: ut quaeque pars) castrorum premi visa est, eo (= in eum locum) Romani occurrebant et suis auxilium ferebant; accidit enim nonnunquam, ut — propter paucitatem militum — in nonnullis castrorum partibus perpauci essent defensores. (Caesar dicit eas partes nudatas esse defensoribus). In haec loca nudata defensoribus Romani occurrebant (= subsidio currebant). Sed tamen Romanis difficillimum erat pugnare. Imprimis una res Romanis pugnantibus incommodo erat, vel, ut ait Caesar, una re (= hōc) superabantur. Superati sunt autem hac re vel hōc: hostes, si diuturnitate pugnae defessi erant, proelio excedere poterant; nam eorum loco statim novi hostes pugnabant; vel, ut ait Caesar, alii hostes integris viribus iis succedebant. Romani autem, cum pauci essent, harum rerum nihil facere poterant. Militi (Romano) defesso non dabatur facultas excedendi e pugna; ne militi vulnerato vel saucio quidem facultas dabatur ejus loci relinquendi, ubi erat (vel ubi constiterat). Ergo ne saucius quidem se

recipere poterat. Itaque saucius non poterat animi et corporis vires renovare, ut rursus integrae fierent. Non dabatur (militi) saucio facultas sui (= se) recipiendi, ut ait Caesar. His rebus Galli superiores erant Romanis; tamen pugnae exitus secundus erat Romanis. — In hoc capite Caesar infinitivo historico utitur; dicit enim: hostes ex omnibus partibus decurrere, lapides in vallum conjicere, nostri primo fortiter repugnare, neque ullum telum frustra mittere; ut quaeque pars castrorum premi videbatur, eo occurrere et auxilium ferre; sed hoc superari, quod hostibus defessis alii hostes succedebant, militi Romano autem defesso facultas ex pugna excedendi non dabatur et ne saucio quidem facultas dabatur ejus loci, ubi constiterat, relinquendi ac sui recipiendi.

37. Sic amplius horis sex continenter pugnatum est. Cum Romanos denique non solum vires sed etiam tela deficerent, hostes acrius pugnare coeperant, vel acrius instabant. Romani autem defessi minus acriter pugnare coeperant vel languidiores facti sunt. Tum hostes Romanis languidioribus (factis) vallum scindere et fossas complere coeperant, ut in castra Romana irrumpere possent. Res, ut ait Caesar, ad extremum casum perducta est; hoc est Romanis desperandum erat saluti. Cum autem res ita se haberet, celeri consilio opus fuit. Datum est id consilium celerius opinione (a duobus ex optimis Caesaris militibus). Quo consilio dato Romani non solum servati (sunt) sed etiam victores facti sunt. Quomodo hoc factum sit, mox intellegetis. Scitisne, quid sit manipulus? Tertia pars cohortis apud Romanos manipulus appellabatur; manipulo circiter centum milites continebantur. Cuique cohorti manipuli erant tres. Primi manipuli milites hastati appellabantur, secundi manipuli milites appellabantur principes, tertii manipuli autem milites appellabantur triarii. Triarii erant milites veter-

rimi et optimi. Triarii tum demum ad pugnam procedebant, cum ceteri milites graviter premebantur. Itaque, cum in pugna res ad extremum casum ducta esset, (ita ut jam ultimi (optimi) milites ad pugnam ducerentur), Romani dicere solebant: res ad triarios venit. Singulae partes tertii manipuli (triariorum) appellabantur pili. Primus pilus ordine princeps erat inter ceteros. Hujus primi pili centurio nominabatur »primipilus«. Primipilus auctoritate et dignitate et virtute omnes ceteros centuriones legionis superabat. Eo tempore, quo hac pugna decretatum est, de qua dicimus, primipilus (= primi pili centurio) erat Publius Sextius Baculus. Hic centurio nobis jam notus est; nam Nervico proelio vulneratus est graviter, vel, ut ait Caesar, confectus est compluribus vulneribus. Et cum in hac pugna res ad extremum casum perducta esset, P. Sextius Baculus et item Gajus Volusenus, tribunus militum, subito ad Galbam adcurrunt (praes. hist.) et dicunt: una, inquiunt, est spes salutis: faciamus eruptionem et hoc modo extremum auxilium experiamur! Sic Baculus et Volusenus docent (= sententiam suam dicunt) unam esse spem salutis, si (Romani) — eruptione facta — extremum auxilium experirentur. Non solum P. Sextius Baculus, sed etiam Volusenus vir erat magnae virtutis et magni consilii, hoc est bona consilia dare poterat.

38. Galba Baculo et Voluseno ita respondit: convocemus, inquit, centuriones et celeriter milites de consilio vestro certiores faciamus! Convocatis igitur centurionibus Galba militibus ita dixit: Milites, inquit, paulisper desinite pugnare, intermittite proelium; tela ab hostibus missa excipite tantummodo scutis vestris! Tum tela colligite, ut postea ea in hostem conjicere possitis! Reficite vos ita e labore! Post (= postea) e castris erumpite, si signum datur, et omnem spem salutis ponite in virtute! Repeto: Galba dicit vel milites certiores facit, (ut) proelium interrumperent,

tela missa tantummodo exciperent seque reficerent e labore; post — signo dato — e castris erumperent.

Milites faciunt (id), quod jussi sunt. Itaque subito (ex) omnibus portis eruptio facta est. Tam celeriter hostes cognoscere non possunt, quae sibi facienda sint, vel ut ait Caesar, quid fieret. Ac hostes dissipati tam celeriter undique convenire, vel ut ait Caesar, se colligere non possunt. Romani igitur hostibus nec facultatem relinquunt cognoscendi, quid fieret, nec facultatem sui colligendi (relinquunt). Tum fortuna commutata est. Nonnulli hostes jam speraverant se castris Romanorum potituros esse; nunc eos fefellit spes potiundorum castrorum. (Pro »potiendorum« Caesar dicit »potiundorum«). Itaque Romani — fortuna ita commutata — eos hostes, qui in spem potiundorum castrorum venerant, undique circumveniunt. Tum Romani hostes undique circumventos interficiunt (= interfecerunt). Constabat omnino amplius triginta milia barbarorum in hoc proelio pugnavisse vel ad castra Romana venisse; horum circiter tertiam partem Romani interfecerunt. Ex amplius triginta milibus hominum plus tertia parte interfecta Romani reliquos perterritos in fugam conjiciunt (= conjecerunt). Ne in montibus quidem hostes consistere poterant; nam Romani hostes ne in locis superioribus quidem consistere patiebantur. Sic omnes hostium copiae victae vel fusae sunt. Omnes hostes arma sua dejicere coacti sunt; potui etiam dicere: omnes hostes (a Romanis) armis suis (abl.) exuti sunt. Sic hostibus armis (abl.) exutis et (hostibus) fuis Romani se in castra munitionesque suas receperunt.

39. Quo proelio facto Galba postero die Octoduri omnia aedificia incendit et in provinciam (reverti) contendit. Hoc Galba fecit, quamquam Gallos hoc proelio vicit. Qua igitur de causa Galba hoc fecit? Fortasse Galba hostes victos timuit. Hoc quidem e Caesaris verbis apparet Galbam iterum fortunam temptare noluisse. Ut Caesar

quidem narrat, Galba post hoc proelium factum ita cogitavit: Hoc loco, ut mihi videtur, nobis acriter pugnandum erit etiam saepius. Difficillimum erit hostes vincere iterum et iterum. Cur igitur saepius fortunam temptarem? Non habui in animo pugnare, cum huc venissem. Eo consilio in hiberna veni, ut sine periculo hiemare possim. Hoc loco autem sine periculo hiemare non possumus. Aliter igitur res se habet, ac expectavi; aliis rebus (me) occurrisse vidi. Praeterea nec satis frumenti habeo, nec commeatum supportari posse putandum est. Ergo hunc locum relinquere cogor. Itaque Galba variis de causis maxime autem ea de causa, quod frumenti inopia premebatur (vel frumenti inopia permotus) castra movit. Aedificiis Octoduri incensis igitur Galba in provinciam contendit. At Galba in provinciam profectus est sine ulla mora et sine ullo periculo; nemo enim eum prohibuit, quin iter faceret, aut (nemo) iter ejus demoratus est. Itaque Galba nullo hoste prohibente aut iter demorante legionem incolumem in Nantuates et inde in Allobroges perduxit ibique hiemavit.

Nunc reminiscatis (velim), quae Caesaris de bello Gallico libro primo narrata sint et quae libro secundo et libro tertio (usque ad hoc caput) narrata sint. Libro primo narratum est post bellum Helveticum confectum Germanos vel Ariovistum e Gallia expulsos esse; libro secundo narratum est Belgas a Caesare superatos esse; libro tertio usque ad hoc caput narratum est, Sedunos (et minores gentes) in Alpibus victos esse. His rebus gestis (superatis Belgis, expulsis Germanis, victis in Alpibus Sedunis) Caesar Galliam omnibus de causis (= omni ex parte) pacatam esse existimavit.

40. Caesar, — cum Galliam pacatam (esse) existimaret, — in Illyricum profectus est. (Illyricum apud Romanos ora maritima nominabatur, quae inter Istriam paeninsulam et Epirum sita est). Caesar in Illyricum profectus est

inita hieme, (cum Galba legionem suam hiemandi causa in Alpes duceret). In Illyricum autem Caesar profectus est, quod Illyricas quoque nationes adire easque regiones cognoscere volebat. Sed cum Caesar Galliam relinqueret (et in Illyricum profectus esset), subito bellum in Gallia coortum est. (= ortum est).

Ejus belli causa fuit haec: Publius Crassus adolescens — filius triumviri, quem certe novistis — proximum mare Oceanum (hoc est proxime ab Oceano) hiema(ve)rat. Crassus in finibus Andium hiemaverat, qui regionem prope a Ligere flumine sitam incolebant. Quod autem in his locis inopia frumenti erat, Crassus in finitimis civitatibus sibi frumentum acquirere volebat. Frumenti causa igitur Crassus complures praefectos tribunosque militum in finitimas civitates dimisit (= misit); quo in numero (hoc est in numero horum praefectorum et tribunorum) erat Quintus Velanius cum Tito Silio; hi missi sunt in Venetos. Ceteros praefectos tribunosque et civitates, in quas hi missi sunt, apud Caesarem legetis.

Venetis erat longe amplissima auctoritas inter omnes civitates (vel omnium civitatum), quae oram maritimam earum regionum incolebant. Potui etiam dicere: Venetorum erat longe amplissima auctoritas inter omnem oram maritimam (vel omnis orae maritimae earum regionum). Hujus rei causae erant hae: primum Veneti plurimas naves habebant, quibus in Britanniam navigare consue(ve)rant; tum Veneti peritissimi erant rerum nauticarum et itaque scientia et usu (= experientia) rerum nauticarum reliquos (nautas) antecedeabant; postremo omnes (nautae), qui in eo mari navigabant, Venetis vectigalia solvere cogebantur.

41. Qui alicui vectigalia solvit, (is) ejus vectigalis appellatur, cui vectigalia solvit. Itaque Caesar dicit: Veneti omnes fere, qui eo mari uti consue(ve)runt, habent vectigales. Sed fortasse quaerat aliquis vestrum: cur

omnes nautae Venetis vectigalia solvere cogebantur? Vobis quaerentibus respondebo haec: pauci erant portus in hac ora maritima; vel, ut ait Caesar, pauci erant portus interjecti (inter singulas regiones hujus orae maritimae). Eos portus autem, qui erant, Veneti tenebant (= omnes portus erant Venetorum). Iis (nautis) autem, qui in his partibus Oceani navigabant, portus interdum maxime necessarii erant. Interdum nautis portus necessarii erant, ut merces suas vendere possent; interdum portus nautis necessarii erant, ut — tempestatibus erumpentibus — in (locum) tutum refugere (= pervenire) possent. In his Oceani partibus, de quibus dicimus, crebrae erant tempestates. Interdum ibi magni fluctus erant. Nam nihil impediēbat, quominus ibi magni motus fluctuum vel magni impetus maris orientur. Itaque ibi magnus impetus maris esse solebat. Ergo naves ibi saepius apertae erant impetui fluctuum et tempestatum; hoc est nulla re hic impetus a navibus defendi poterat. (Caesar impetum ipsum vocat apertum, cum (impetus) nulla re impediri aut defendi possit.) In magno atque aperto impetu maris autem nautis moriendum erat, nisi in portum refugere poterant. Sed Veneti, cum omnes portus in his Oceani partibus tenerent, omnibus nautis ibi navigantibus dicere poterant: in nostris portibus vobis refugium non erit — tempestatibus coorientibus —, nisi nobis vectigalia solveritis. Et etiam, cum nulla esset tempesta in mari, Veneti omnibus nautis in hoc mari navigantibus dicere poterant: vestras merces in terra nostra comportari non patiemur, nisi nobis vectigalia solveritis. Quibus (= his) de causis nautis vectigalia solvenda erant. Itaque Caesar dicit: in magno impetu maris atque aperto Veneti — interjectis paucis portibus, quos tenebant ipsi (Veneti), omnes fere nautas eo mari utentes habebant vectigales. — Tres igitur erant causae auctoritatis Venetorum: primum Veneti plurimas habebant naves; tum Veneti peritissimi erant rerum nauticarum; multa

denique vectigalia Venetis solvebantur. His de causis hujus civitatis (genit. possessoris) longe amplissima erat auctoritas omnis orae maritimae (genit. objectivus) regionum earum (genit. subjectivus).

42. Veneti Crasso obsides dederant; hos recuperare volebant. (Caesar dicit recipere.) Crassus — ut dictum est — Velanium et Silium frumenti causa ad Venetos miserat. Hos Veneti ad obsides suos recuperandos retinebant ut captivos. Nam Veneti existimabant se hoc modo obsides suos recuperaturos esse. Veneti sic cogitabant: nisi Crassus nobis obsides nostros remiserit, nos Velanium et Silium non remitemus. Venetorum auctoritate adducti etiam aliae civitates Venetis finitimi ita cogitabant. Itaque hae civitates eadem de causa ac Veneti praefectos tribunosque militum, quos Crassus ad eas (civitates) miserat frumenti causa, retinebant. Initium autem retinendi (Sili atque Velanii) a Venetis factum est. Caesar dicit „fit“ (praesens historicum). Tum Veneti eorumque finitimi alius ad alium legatos miserunt. Legatis missis omnes hae gentes inter se conjurant se omnia communi consilio acturos esse. Jurejurando (inter se) dato hae gentes constituunt se res adversas et res secundas vel omnem fortunam communem laturos esse. Post haec consilia inita bellum Venetorum cum Romanis evitari non poterat. Sed Veneti eorumque finitimi inter se conjuraverunt, se — qualiscunque erit exitus hujus belli — eundem exitum omnis fortunae esse laturos —. Hoc jusjurandum autem non civitates ipsae inter se dederunt sed principes civitatum; vel, ut ait Caesar, civitates per principes inter se conjuraverunt. Galli Caesaris temporibus — ut etiam nostris temporibus Francogalli — vivacem habebant animum. Ob eam causam consilia eorum subita erant et repentina. Itaque finitimi Venetorum celeriter inter se conjuraverunt celeriterque reliquas civitates (maritimas) sollicitaverunt

(hortantes eos), ut eadem facerent. Veneti et Venetorum finitimi reliquas civitates hortati sunt, ut in libertate a majoribus accepta permanere mallent quam Romanorum servitatem perferre.

43. Ita mox omnes civitates maritimae ad sententiam Venetorum (et finitimorum) perductae sunt. Omni ora maritima ad horum sententiam perducta Veneti et finitimi omnesque Gallorum civitates maritimae communem legationem ad Crassum miserunt. Hi legati ad hunc modum locuti sunt: si tuos praefectos tribunosque militum recipere vis, remitte nobis obsides nostros. Caesar hoc loco oratione obliqua utitur. Ergo Caesar dicit: Omnes civitates communem legationem ad Crassum mittunt, quae dicat, ut Crassus sibi (hoc est legationi) obsides remittat, si suos (praefectos tribunosque militum) recipere velit. Legati igitur Crasso dixerunt: sibi remittat obsides, si suos recipere velit. (Si Caesar tempore perfecto hoc loco usus esset, ita dixisset: civitates legationem ad Crassum miserunt, (quae diceret): si vellet suos recipere, obsides sibi remitteret.) — Hoc modo Galli — ut sunt Gallorum subita et repentina consilia — inter se conjuraverunt.

Quod Caesar longius (= satis longe) a Gallia aberat, a Crasso de his rebus certior factus erat. Caesar de his rebus certior factus naves in usum belli aedificandas esse arbitratus est. Naves, quae ad bella navalia gerenda aptae erant, apud Romanos naves longae appellabantur. Naves longae praeacutae erant et longiores aliis navibus. Navibus longis Romani facillime celerrimeque vehi poterant; idcirco naves longae aptae erant ad bellum gerendum.

Interim (= dum res apud Venetos ceterasque civitates maritimas geruntur) Caesar naves longas in flumine Ligere, quod influit in Oceanum, aedificari jussit. Eodem tempore Caesar remiges e provincia institui et nautas gubernatoresque comparari jussit. His rebus celeriter factis vel administratis Caesar ad exercitum contendit.

Sed non statim Caesar ad exercitum profectus est; nam Caesari expectandum erat, dum tempus anni opportunum fieret ad iter faciendum; cum primum autem potuit, per anni tempus, Caesar ad exercitum contendit.

44. Veneti Caesaris adventum cognoverunt. Caesaris adventu cognito Veneti reliquaeque civitates bellum parare coeperunt; intellexerunt enim sibi magnum periculum imminere. Itaque cum periculum magnum esset, vel, ut ait Caesar, pro magnitudine periculi, Veneti bellum paraverunt. Veneti omnia ad bellum pertinentia magna cum diligentia providebant; maxima autem diligentia (Veneti) ea providebant, quae ad usum navium pertinent. Sed non solum propter periculum imminens Veneti bellum parabant sed etiam alia de causa: apud (vel ad) omnes nationes nomen legatorum semper sanctum et inviolatum fuit; hoc est nulli legatos offendere licebat. Veneti autem sibi conscii erant ab se retentos (esse) et in vincula coniectos esse legatos Romanorum; vel, ut ait Caesar Veneti intellegebant, quantum facinus in se admisissent (= fecissent). Itaque Veneti poenam Caesaris timebant et ita cogitabant: nunc nobis servanda est vita ipsa; ergo bellum nobis parandum est maxima cum diligentia. Sed Veneti sperabant se Romanos victuros esse; sciebant enim Veneti naturam loci sibi opportunam esse. Itaque Veneti bellum eo majore spe (victoriae) parabant, quod natura loci multum confidebant. Nam Veneti sciebant pedestria itinera concisa esse aestuariis, hoc est multis locis vias completas esse aqua; sciebant etiam navigationem impeditam esse propter inscientiam locorum et propter paucitatem portuum; scienda enim sunt nautis ea loca, ubi navigant, si sine periculo navigare volunt. Praeterea Veneti confidebant Romanos propter inopiam frumenti diutius apud se (= Venetos) morari non posse. Veneti rem bene perspicientes sic cogitabant: fieri quidem potest, ut, — bello a nobis diligenter praeparato — (tamen) calamitatem accipia-

mus. Sed ut (ut concessivum) omnia contra opinionem accidant, tamen bello navali eadem poterimus ac Romani (hoc est: concedamus omnia aliter (= pejus) accidere posse ac opinamur, tamen bello navali non inferiores erimus Romanis.) Nam nos navibus plurimum valemus (vel possumus). Romani autem nullam facultatem navium (hoc est nullam copiam navium) habent; paucae modo naves iis sunt. Praeterea Romani nec vada nec portus nec insulas noverunt eorum locorum, ubi bellum gesturi sunt. Accedit, quod Romani in concluso mari (mediterraneo) navigare consueverunt, nos autem in Oceano apertissimo navigamus. Navigatio autem in concluso mari longe alia est ac (navigatio) in apertissimo et vastissimo Oceano.

45. Veneti, ut supra dictum est, legatos Romanorum retinuerunt. Retentio legatorum (= legatos retentos esse) facinus vel factum malum est. Hoc factum autem Veneti in se admiserunt. At Veneti etiam intellegebant Romanos hoc facinus ulturos esse. Ergo Veneti non ignorabant sibi magnum periculum imminere. Itaque Veneti eorumque finitimi — pro magnitudine periculi — bellum paraverunt et propterea consilia ad bellum pertinentia inierunt.

His consiliis initis Veneti oppida muniunt eoque (= in oppida) frumenta comportant, naves in Venetiam cogunt, quam plurimas possunt; constabat enim Caesarem in Venetorum finibus bellum gesturum esse. Quos socios Veneti sibi ad id bellum adsciverint, apud Caesarem legetis; etiam e Britannia Veneti auxilia sibi arcessunt.

Et re vera (Romanis) erant hae difficultates, quas Venetos intellexisse supra ostendimus; (= quas Veneti intellexerunt, ut supra ostendimus). Sed tamen multae res Caesarem ad bellum contra Venetos incitabant: primum retenti erant tribuni militum praefectique, qui legatorum loco (= ut legati) ad Gallorum civitates missi erant. Hi tribuni militum praefectique autem erant equites

Romani vel erant ex ordine equestri; hi tribuni militum praefectique igitur nobilissimum locum habebant. Itaque equitibus Romanis retentis non solum his ipsis a Gallis injuriae illatae erant, sed injuriae illatae erant toti populo Romano. Hae injuriae Caesari ulciscendae erant. Itaque primum Caesarem ad id bellum incitabant injuriae retentorum equitum Romanorum (hoc est non injuriae, quas equites retenti fecerunt (genit. subjectivus), sed injuriae, quae in eo constant, quod retenti sunt equites Romani. (genit. explicativus).)

Deinde Caesarem ad id bellum incitabant rebellio Gallorum post deditionem facta et tot civitatum conjuratio; hae civitates a Caesare defecerunt, postquam obsides dederunt (= datis obsidibus); incitabat Caesarem igitur ad id bellum etiam defectio Gallorum obsidibus datis.

46. Imprimis autem erat alia causa, qua Caesar ad id bellum incitabatur. Caesar sic cogitabat: nisi a Gallis harum regionum poenas repeto, fortasse reliquae nationes Galliae easdem injurias facient ac Veneti eorumque amici. Hanc partem Galliae omni poena liberam esse pati periculosum est vel, ut ait Caesar, hanc partem Galliae negligere) periculosum est. Imprimis me ad id bellum incitat, (quod timeo), ne — hac parte Galliae neglecta — reliquae nationes (Galliae) sibi idem licere arbitrarentur. Intellexit enim Caesar omnes fere Gallos non solum facile seditiones domesticas facere vel novis rebus studere sed etiam ad bellum mobiliter celeriterque excitari. At Caesar etiam intellexit omnes homines naturali quodam impulsu ductos ad libertatem recuperandam incitari. Omnes liberi esse volunt et conditionem servitutis (= servitutem) oderunt. Itaque Caesar, cum haec intellexeret, exercitum sibi partiendum esse putavit et latius distribuendum (esse); hoc est: Caesar exercitum ita locandum esse putavit, ut aliae partes exercitus ab aliis satis longo spatio distarent. Et celeriter quidem

haec sibi facienda esse Caesar intellexit, ne plures civitates contra Romanos inter se conjurarent. Caesar igitur exercitum sibi partiendum esse putavit, priusquam plures civitates conspirarent.

Itaque Caesar Titum Labienum ad Rhenum flumen misit (in Treveros). Caesar Labieno mandat, (ut) Belgas adeat, (= ut in Belgas eat) et (eos) in officio (= oboedientia) retineat vel contineat. Praeterea Caesar Labieno mandavit, (ut) prohiberet, quominus Germani navibus flumen (Rhenum) transirent. Germani tum a Belgis auxilio arcessiti vel accersiti (esse) dicebantur. Labieno autem mandatum erat a Caesare, (ut), — si Germani per vim navibus flumen transire conarentur —, prohiberet (quominus hoc facerent). Sed Caesar etiam metuebat, ne ex Aquitania auxilia in Galliam mitterentur ac tantae nationes — Galli et Aquitani — inter se conjungerentur. Ad hoc evitandum Caesar P. Crassum cum duodecim cohortibus legionariis et magno numero equitatus in Aquitaniam proficisci jussit.

47. Ad socios Venetorum autem pacandos Caesar Q. Titurium Sabinum in gentes maritimas misit, qui manum (= milites) earum distineret. Itaque Sabinus eam manum distinendam curavit; hoc est: Sabinus prohibere conatus est, quominus copiae harum gentium conjungerentur. Classi autem Romanae Caesar Decimum Brutum praefecit; eundem Caesar etiam iis navibus Gallicis praefecit, quae navibus Romanis conjunctae erant; nam naves Gallicas Caesar e regionibus pacatis (in unum locum) convenire jusserat. Decimum Brutum autem Caesar cum his navibus Gallicis omnique classe Romana in Venetos proficisci jussit. D. Bruto Caesar imperavit, ut cum classe proficisceretur, cum primum posset. Ipse (Caesar) pedestribus copiis in Venetos contendit.

Oppida Venetorum aedificata erant in iis locis, quae longius in mare prominebant; vel, ut ait Caesar, oppida

posita erant in lingulis promuntoriisque. Ea oppida duodecim horas diei pedibus aditum non habebant; hoc est his temporibus homines pedibus ea oppida adire non poterant; totidemque horas diei ea oppida navibus aditum non habebant; hoc est his temporibus homines navibus ea oppida adire non poterant. Hujus rei causam mox intellegitis. In his regionibus enim, (ad Oceanum sitis) certi erant motus fluctuum, qui aestus appellabantur. Per sex horas diei undae in oram funduntur, per sex horas sequentes autem in mare refruunt; tum undae iterum sex horas in terram funduntur atque tum denique iterum sex horas in mare refruunt. Bis igitur semper spatio viginti quattuor horarum aestus accedit, bis eodem temporis spatio minui coepit. Aestu accedente ea oppida pedibus aditum non habebant, quod partes oppidorum prope Oceanum sitae inundabantur. Aestu minuente autem ea oppida navibus aditum non habebant, quod naves in vadis vehementi appulsu laedebantur, vel, ut ait Caesar, afflictabantur. Erant igitur ejusmodi situs oppidorum, ut (oppida) pedibus aditum non haberent, cum aestus ex alto (mari) accedere incepisset, vel se incitavisset; erant etiam ejusmodi situs oppidorum, ut (oppida) navibus aditum non haberent, cum aestus minui incepisset. Itaque oppida sita erant ejusmodi, ut pedibus aditum non haberent, cum aestus ex alto se incitavisset, neque navibus, (aditum haberent) cum (aestus) minui incepisset.

48. Ita utraque re oppugnatio oppidorum impediabatur (aestu accedente et aestu minuente). Propterea oppidani se satis tutos esse putabant. Oppidani sic cogitabant: Exstruant hostes aggerem et moles quantaecunque altitudinis et quantaecunque latitudinis volent! Sint tantae magnitudinis hic agger et hae moles, ut iis mare in omnes partes repellatur! (vel, ut ait Caesar, extrudatur!) Sint tantae altitudinis hae moles et hic agger, quantae

sunt ipsa moenia oppidi nostri! Adeant hostes per hunc aggerem et has moles (ad) ipsum oppidum nostrum, (si agger molesque moenibus oppidi adaequata erunt!) Superent ita (= sint superiores) hostes magnitudine operis sui! Nos tamen sumus tuti! Nam si quando (= aliquando) forte superati erimus magnitudine operis, omnia nostra in naves nostras deportemus et in proxima oppida nos recipiamus! Magnus enim numerus navium nobis est; magnam copiam vel facultatem harum rerum habemus. Has naves oppido (dat.) nostro adpellere poterimus, si fortunis nostris desperare coeperimus. Navibus adpulsis omnia nostra deportare et nos in proxima oppida recipere poterimus. Et re vera Veneti — bello facto — (= cum bellum fecissent) his consiliis utebantur. Saepius Romani aggere et molibus mare extrudebant. Veneti autem — mari (aggere et molibus Romanis) extruso — desperare coeperant. Interdum Romani haec (= aggerem et moles) moenibus oppidi Venetorum adaequabant. Tum Veneti his (= aggere et molibus (abl.) moenibus (dativ) oppidi adaequatis in proxima oppida se recipiebant. Ibi Veneti se rursus iisdem opportunitatibus loci defendebant; hoc est Veneti eadem faciebant ac quae hoc capite jam descripsimus. At eo facilius Veneti haec (per) magnam partem aestatis faciebant, quod naves Romanae tempestatibus detinebantur. Praeterea magni aestus erant et rari ac prope nulli portus. Romani in vasto et aperto mari manere cogeantur. Itaque — magnis aestibus rarisque portibus — Romanis in vasto ac aperto mari summa difficultas erat navigandi.

49. Capite sequente Caesar nobis descripsit, quem ad modum Venetorum naves factae et armatae (= rebus necessariis instructae) sint: carinae navium Veneticarum aliquanto planiores erant quam carinae navium Romanarum; planioribus carinis autem naves non tam facile in vadis afflictabantur (= laedebantur), nec aestu minuente vel decedente detrimentum capiebant; vel, ut ait Caesar, carinae planiores

erant, quo facilius vada ac decessum aestus excipere possent. Prorae erant admodum (= magnopere) altae vel in altitudinem erectae; puppes (erant) ita factae, ut magnos fluctus et tempestates perferre vel excipere possent; vel, ut ait Caesar, puppes accommodatae erant ad magnitudinem fluctuum et tempestatum. Naves totae factae (erant) e robore hoc est e duro et firmo ligno querno (= e quercubus facto). Ex hoc ligno duro naves Venetorum factae erant ad quamvis vim et calamitatem vel contumeliam perferendam. Ex altero latere navium ad alterum latus porrecta erant magna tigna, quae transtra appellabantur. In his positae erant trabes, quae porrectae erant e prora usque ad puppem. Hae trabes unum pedem latae erant; vel, ut ait Caesar, hae trabes in latitudinem pedales erant. Transtra clavis ferreis confixa erant trabibus (dat). Pro funibus (= funium loco) anchorae erant ferreis catenis adstrictae vel revinctae. Pro velis (= velorum loco) erant pelles et alutae, hoc est pelles tenuiter confectae. Velis Veneti carebant. Hujus rei Caesar duas affert causas: primum Venetis non erat linum; usum lini igitur nesciebant (vela autem conficiuntur e lino). Deinde Veneti arbitrabantur velis sustineri non posse tempestates impetusque ventorum; velis enim satis commode regi non posse putabant naves tam ponderosas, vel tanta, ut ait Caesar, onera navium (genit. explicativus). His verbis non intelleguntur onera, quae in navibus sunt, sed naves ipsae onera appellantur; nam naves grandes sunt (et itaque) quasi onera sunt, quibus premitur ipsum mare. Itaque onera navium sunt onera, quae e navibus constant. Veneti igitur velorum usum neglegebant, sive propter lini inopiam sive quod velis nec tempestates sustineri nec tanta onera navium satis commode regi posse arbitrabantur.

50. Nunc scimus, quem ad modum naves Veneticae factae et armatae sint. Eodem capite Caesar nobis etiam

descripsit, quibus rebus naves Venetorum naves Romanorum superaverint. Itaque — navibus Venetorum accuratius descriptis — quaeramus, quae Caesar de harum navium praestantia dixerit. Venetorum naves accommodatae erant loci naturae; hoc est naves Venetorum ita factae et armatae erant, ut loci natura postulabatur. Deinde naves Veneticae melius quam naves Romanae instructae erant ad vim tempestatum bene perferendam. Ita naves Venetorum aptiores et accommodatiores erant (Romanis navibus) pro loci natura et vi tempestatum. Naves Veneticae firmissime confectae erant e ligno duro (querno); propter hanc firmitudinem naves Romanae iis rostro (abl.) nocere non poterant. Hoc est: si naves Romanae rostris suis in latera navium Veneticarum pulsabant, hi pulsus navibus Veneticis detrimento non erant. Tum naves Veneticae altiores erant quam naves Romanae; e quo sequebatur, ut tela non facile adjici possent ad naves Veneticas. Eadem de causa eae minus facile (= difficile) copulis continebantur; hoc est, Romanis non erat facile, copulis suis (= harpagonibus) eas capere. Accedebat, ut naves Veneticae tempestatem facilius (per)ferrent, quam naves Romanae; accedebat deinde, ut naves Veneticae in vadis tutius consisterent (navibus Romanis); accedebat denique, ut naves Veneticae aestu minuente detrimentum non caperent. Cum ventus saevire coepisset, nautae se vento dabant, (= navem vento ferri patiebantur.) Tum Veneti his commodis utebantur, de quibus supra dictum est. Quae commoda autem erant haec tria: primum naves Venetorum tempestates facile ferebant; secundum naves Venetorum in vadis tutius consistebant; tertium naves Venetorum ab aestu (minuente) relictas (in terra) saxa et cautes non timebant (cautes sunt rupes acutae, sub mari imminentes). Haeres omnes (tempestates, vada, aestus, saxa, cautes) Venetis non erant timendae. Naves Romanae autem perfa-

cile in omnes has calamitates cadere poterant. Itaque navibus Romanis omnium harum rerum casus erat timendus vel, ut ait Caesar, extimescendus.

51. Sed una erat res, qua naves Romanae navibus Veneticis praestiterunt: in navibus Romanis erant remi, quorum vi naves magna cum celeritate impelli poterant; itaque Romani navibus suis etiam tum satis celeriter vehi poterant, cum venti intermittebantur. (Si ventus fit mitis (= lenis) aut omnino desinit, Romani dicebant: ventus intermittitur.) Ventis intermissis usus velorum impediabatur. Veneti autem, cum remis non uterentur, pulsu remorum non juvabantur in navigando.

Romani cum his navibus (Gallicis) iam in pugna congressi erant; tum apparuit, quibus rebus naves Romanorum et naves Venetorum inter se distulerint. Erat autem classi Romanae cum his navibus ejusmodi congressus, ut utriusque classis virtutes et defectus demonstrarentur. Hic congressus enim erat ejusmodi, ut (classis Romana) una remorum celeritate et pulsu praestaret, reliqua illis (= navibus Gallicis) essent aptiora, (pro loci natura et pro vi tempestatum). Quae fuerint haec reliqua, vobis jam accurate narrata sunt.

Jam dictum est in capite XI Caesarem pedestribus copiis in Venetos contendisse. Ibi Caesar complura oppida expugnavit. Sed expugnatis oppidis hostes se in proxima oppida receperunt. Oppida non expugnantur nisi magno cum labore. Cum autem hostes altero oppido expugnato se in alterum oppidum reciperent, Caesar tantum laborem frustra sumpsit. Itaque Caesar compluribus oppidis expugnatis tantum laborem frustra sumi intellexit. Nam Caesar impedire non potuit, quominus hostes ex altero oppido (expugnato) in alterum oppidum (nondum expugnatum) fugerent. Caesar hostium fugam — oppidis captis — reprimere non potuit. Hostibus igitur oppidis captis noceri non potuit. Itaque hostes

vinci non potuerunt nisi pugna navali. Propterea Romanis classis exspectanda erat. Itaque Caesar, ubi intellexit neque hostium fugam reprimi neque iis noceri posse, classem Romanam exspectandam (esse) statuit.

52. Et re vera pugna navalis facta est, ubi primum classis Romana convenit. Ubi primum enim classis Romana ab hostibus visa est, circiter viginti et ducentae naves eorum ex portu profectae sunt. Hae naves, quae paratissimae erant (ad pugnandum), navibus Romanis adversae constiterunt. Fortasse nescitis, quibus rebus naves Gallicae armatae sint! In media navi malus erat; (nonnullis navibus complures mali erant). Ad malos funibus destinabantur antemnae, hoc est longurii vel vectes longi, ad quos funibus vela religabantur. Ex his funibus, quibus vela religabantur et illis (funibus), quibus destinabantur antemnae, armamenta vel arma navium constabant. Venetorum naves ex portu profectae ornatissimae erant omni genere armorum. — Omni classi Romanae Brutus praeerat; singulae naves attributae erant tribunis militum centurionibusque; hoc est tribuni militum et centuriones singulis navibus praeerant. Ita pugna navalis incepit. Pugna incipiente vel ineunte duces Romanorum nesciebant, quid agerent; vel, ut ait Caesar, ducibus Romanis non satis constabat, quam rationem (= quem modum) pugnae adhiberent vel insisterent. Tres erant res, quibus Romani navibus barbarorum nocere conabantur: rostrum, turres, falces. Navibus Gallorum rostro noceri non posse, jam in capite XIII legimus. Sed etiam turribus Romani nihil proficere poterant. Quid turres valere possunt in pugna navali? Sic quaerant fortasse multi vestrum! Certe non ignoratis turres saepius a Romanis institutas esse ad oppida oppugnanda. Interdum autem turres etiam in navibus Romanis instituebantur. Turres in proris navium institui vel, ut ait Caesar, excitari solebant. Has turres Romani excitabant, quo (= ut eo) commodius tela navibus

hostium adigere (= in naves hostium conjicere) possent; nam tela de locis superioribus coniecta gravius in hostem cadunt vel accidunt quam tela ex inferiore loco missa. In navibus Veneticis non erant turres; itaque Romani turribus excitatis se superiorem locum tenere putaverunt. Sed etiam turribus excitatis naves Veneticae naves Romanas altitudine puppium superabant (hoc est: etiam si Romani turres excitaverant, tamen naves Romanorum inferiores erant navibus barbarorum.) Itaque altitudo puppium ex barbaris navibus (= navium barbarorum) etiam turres Romanas superabat; e quo sequebatur, ut tela Romana non satis commode navibus hostium adjici possent, tela a Gallis missa autem gravius (in naves Romanas) acciderent.

53. Duabus igitur rebus, rostro et turribus, nihil profici potuit ad victoriam reportandam. Tertia autem res, falces, res utilissima erat ad pugnandum; vel, ut ait Caesar, una res magno usui praeparata erat a Romanis. In navibus Gallicis omnis spes victoriae in velis armamentisque consistebat; remis Galli, ut videtur, rarissime utebantur. Ergo qui Gallis vela aut armamenta eripiebat, is iis (= Gallis) omnem usum navium eripiebat. Hoc est velis ereptis aut armamentis abscisis vel praeruptis Veneti non poterant navibus suis uti. Nam armamentis vel funibus praeruptis antemnae necessario concidunt; funibus enim antemnae ad malos destinabantur. Antemnis concisis etiam vela concidunt. Tum autem omnia armamenta perturbantur. Sed Romanis erant instrumenta, quibus haec armamenta (funes) abscindere poterant. Haec instrumenta erant falces, de quibus supra dictum est. Falces appellabantur hamei ferrei (praeacuti). Hi hamei inserti erant (= inducti vel adacti) longuriis, hoc est vectibus satis longis. Talia instrumenta apud Romanos in usu erant ad muros diruendos. Falces, quibus muri diruebantur, falces murales appellabantur. Falces autem, de quibus in nostro capite agitur, non absimiles

(hoc est similes) erant falcibus muralibus. Itaque una res magno usui erat praeparata a Romanis: falces praeacutae, insertae adfixaeque longuriis, non absimili forma muralium falcium (= quarum forma non absimilis erat) formae muralium falcium.). His falcibus, quas descripsimus, Romani etiam in hac pugna navali usi sunt. Nam his falcibus Romani funes navium Veneticarum comprehendebant et adducebant (= attrahebant); tum Romani (eodem fere tempore, cum funes attrahebant); navigium suum remis impellebant vel incitabant; haec Romani faciebant, ut funes praerumperentur. Et ita factum est. Funes, cum (= quotiens) falcibus comprehensi adductique erant (ad navem Romanam), praerumpebantur navigio remis incitato. Funibus abscisis antennae concidebant. Ita Venetis, cum omnis spes Gallorum in velis armamentisque consisteret, his (velis et armamentis) ereptis omnis usus navium eripiebatur (uno tempore). Funibus praeruptis et antennis disiectis Romani in hostium naves transcendebant. Tum in navibus pugnari coeptum est.

54. Reliquum certamen (= certamen in navibus Veneticorum) positum erat in virtute; fortiores autem erant milites Romani. Virtute Romani Venetos superabant. In hac pugna autem milites Romani Venetos eo magis superabant, quod res gerebatur (= pugna fiebat) in conspectu Caesaris omnisque exercitus. Nam Caesar omnisque exercitus omnem pugnam e locis superioribus (hoc est e collibus prope mare sitis) conspicati sunt.

De collibus prope mare sitis e propinquo in mare despici potuit. Omnes autem loca superiora, unde erat propinquus despectus in mare, ab exercitu Romano tenebantur. Ergo nulla virtus vel nullum factum paulo fortius Caesarem exercitumque Romanum latere poterat. Itaque, quod res in conspectu Caesaris omnisque exercitus gerebatur, (ita) ut nullum paulo fortius factum latere posset, milites Romani fortissime pugnabant. Idcirco

Romani in hac pugna navali mox victores facti sunt. Disiectis enim, ut diximus, antennis Romani singulas naves Veneticas compluribus navibus Romanis aggredi conabantur. Cum autem (= quotiens) binae ac ternae naves Romanae singulas naves Veneticas circumsteterant, milites Romani summa vi in naves hostium transcendere contendebant. Cum autem ei rei nullum auxilium reperiretur, (= reperiri posset,) multae naves hostium expugnatae sunt. Postquam barbari id fieri animadverterunt, compluribus navibus expugnatis fuga salutem petere contenderunt. Hostes fugientes naves suas in eam partem converterunt, quo ventus eas ferebat; hoc est hostes naves suas vento ferri voluerunt. Sed subito venti intermissi sunt; si venti intermittuntur, Romani dicunt: tranquillitas exstitit. (Graeci tranquillitatem »malaciam« appellabant.) Iam conversis hostium navibus igitur subito tanta tranquillitas exstitit, ut naves se ex loco commovere non possent. Haec (= quae) quidem res (Romanis) maxime opportuna fuit ad certamen celeriter conficiendum. Caesar loco vocabuli »certamen« jocandi causa vocabulo »negotium« utitur. Caedem Caesar appellat »negotium«, quasi res non a militibus geratur, sed a mercatoribus.

55. Itaque Romani singulas hostium naves consecrati sunt easque expugnaverunt. Mox autem Romani singulas naves consecrati tantum numerum earum expugnaverunt, ut perpaucae ex omni numero ad terram pervenerint. Et etiam hae fortasse non servatae essent, nisi nox intervenisset. Sed cum ab hora fere quarta (hoc est secunda ante meridiem) usque ad solis occasum pugnaretur, interventus noctis finem fecit pugnandi. Hoc modo factum est, ut noctis interventu nonnullae hostium naves ad terram pervenerint. — Hoc (= quo) proelio non solum bellum Veneticum sed etiam bellum totius orae maritimae confectum est. Nam hoc proelio non modo omnes fere naves Venetorum amissae sunt sed etiam naves aliarum

civitatum maritimarum. Omnes enim civitates maritimae naves suas in unum locum coegerant ad pugnam faciendam. Quantus numerus navium (vel quod navium, vel, ut Caesar dicit, navium quod) ubique fuerat, (tantus numerus) in unum locum collatus vel coactus erat. Hae (naves) fere omnes amissae sunt. In has naves autem omnes fere juvenes Venetorum sociorumque eorum ad pugnandum convenerant. Etiam hi (fere omnes) in hac pugna amissi hoc est necati aut vulnerati sunt. Sed in has naves non modo juvenes convenerant sed etiam omnes (homines) gravioris aetatis, qui in his civitatibus fuerant. Itaque homines digniores, qui ceteris consulere solebant, etiam amissi sunt in hac pugna. His (hominibus senioribus) amissis omnes barbari maritimi magnopere dolebant; erat enim in his (hominibus senioribus) aliquid consilii et dignitatis.

Itaque Veneti eorumque socii in eo loco, ubi haec pugna facta est, omnia fere amiserunt. Nam cum omnis juvenus omnesque gravioris aetatis eo convenerant, tum civitates maritimae navium, quod ubique fuerat, eo coegerant.

56. Victoria amissa igitur Veneti eorumque socii omnia amiserunt: juventutem, gravioris aetatis consilium et dignitatem, maximum navium numerum. His (navibus et hominibus) amissis reliqui (Veneti sociique eorum) nullum locum habebant, quo se recipere possent. Veneti, ut jam scitis, oppida sua nisi navibus defendere non poterant. Quemadmodum autem plerisque navibus hominibusque amissis oppida sua defendere potuerunt? Ergo Veneti sociique eorum nec (locum) quo se reciperent, nec quemadmodum (= modum, quo) oppida sua defenderent, habebant. Itaque (Veneti) se suaque omnia Caesari dediderunt. Caesar autem ab his (Venetis) poenas solvi voluit. Veneti enim quod reminiscatis velim-legatos Romanos offenderunt; initium enim fecerunt legatorum retinendorum. Legati autem erant sacri vel sacrosancti, jure legatorum igitur legatos

offendere nefas erat. Hoc jus legatorum autem apud barbaros saepius non conservabatur. Itaque Caesar Venetos punire voluit, quod jus legatorum non conservaverunt. In hos igitur Caesar eo gravius animadvertendum vel vindicandum esse statuit, quo in futurum (= in reliquum tempus) a barbaris jus legatorum diligentius conservaretur. Propterea Caesar omnem senatum Venetorum necari jussit. Senatu necato Caesar ceteros sub corona vendidit. Quid est »sub corona vendere«? Sic multi vestrum quaerent. Apud Romanos captivi jussu rei publicae a quaestore venire solebant. Venibant autem captivi publicis locis; cum captivi venibant, iis in capite erant coronae. Idcirco Romani dicebant: sub corona vendere. Publicis locis, ubi captivi venibant, hasta erat in terram infixā. Hac hasta Romanis significabatur captivos hasta (hoc est jure belli) acquisitos esse. Itaque Romani non solum dicēbant: sub corona vendere sed etiam dicebant: sub hasta vendere. — Caesar igitur Venetos post pugnam navalem relictos sub hasta vel sub corona vendidit. Ita bellum Veneticum confectum est. —

57. Dum haec in Venetis geruntur, Quintus Titurius Sabinus, legatus Caesaris, cum copiis suis in fines Venellorum pervenit. Venelli paeninsulam incolebant, quae inter Venetos et Sequanam flumen sita est. Venellis Viridovix praeerat. Viridovix summam imperii tenebat earum omnium civitatum (maritimarum), quae a Caesare defecerant, hoc est earum civitatum, quae socii erant Venetorum in bello Venetico. Ex his civitatibus Viridovix exercitum magnasque coegerat copias. Magnae copiae constabant e multitudine hominum, qui nunquam erant exercitati in armis ferendis; praeterea plerique eorum hominum erant gravioris aetatis. Hi homines tum modo ad pugnandum cogebantur, cum res publica in periculo erat. (Apud nos magnae copiae appellantur »Landsturm«.) Venellis nondum erat magnus exercitus, cum juventus

eorum magnusque numerus hominum gravioris aetatis missi erant in bellum Veneticum. Tali modo res se habebat apud ceteras civitates, quibus Viridovix praeerat. E reliquis juvenibus Venellorum et ceterarum civitatum Viridovix exercitum, de quo diximus, coegit; magnas copias autem Viridovix ex hominibus gravioris aetatis earum civitatum coegit, qui non missi erant in Venetos. — His copiis (= exercitu magnisque copiis) etiam aliae gentes usae sunt ad libertatem recuperandam. Aulerci, Eburovici, Lexoviique se cum Viridovice junxerunt. (Caesar non dicit, utrum etiam hae gentes bello Venetico pugnaverint nec ne.) Harum gentium senatus quidem hoc novum bellum, quod Viridovix facturus erat, suscipi noluerunt; nam senatores intellexerunt exitum hujus belli infelicem fore. Senatores ita cogitaverunt: si hoc bellum suscipietur, a nobis susceptum esse videbitur. Infelix exitus autem hujus belli nobis crimini dabitur; nostra enim auctoritate hoc bellum susceptum esse videbitur. Auctores hujus belli fuisse videbimur. Auctores autem hujus belli esse nolumus. Postea enim dicunt omnes cives nostri: hi senatores bellum inceperunt, hi puniendi sunt. Sic senatores cogitaverunt.

58. Sed Aulerci, Eburovices Lexoviique senatum suum vel senatus suos interfecerunt, quod (senatores vel senatus, plur.) auctores belli esse volebant; senatu interfecto hae gentes portas oppidorum suorum clauserunt. Haec omnia facta sunt paucis diebus, (hoc est, dum Viridovix copias suas cogit). His paucis diebus Aulerci, Eburovices Lexoviique senatu suo interfecto se cum Viridovice junxerunt. Cum Viridovicis copiis se etiam junxerat magna multitudo hominum perditorum latronumque, quae undique e Gallia convenerat. Hi antea agricolae fuerant aut aliis cotidianis laboribus occupati erant. Cum autem perdit

essent hi homines, praedari atque bellare malebant quam domi vivere sine gloria. Itaque spes praedandi studiumque bellandi eos ab agricultura et cotidiano labore revocabat.

Dum Viridovicis copiae coguntur, Sabinus loco omnibus rebus idoneo castra posuit. Viridovix contra eum (= contra castra Sabini) castra sua posuit, vel, ut ait Caesar, consedit. His castris idoneis igitur Sabinus sese tenebat, cum Viridovix duum (= duorum) milium spatio contra eum consedisset. Tum Viridovix cotidie copias suas producebat; copiis productis Viridovix Sabino cotidie potestatem pugnandi faciebat. Sed cotidie Sabinus pugnare nolebat; propterea Viridovicem timere videbatur. Ita factum est, ut jam Sabinus ab hostibus contemneretur, vel, ut ait Caesar, in hostium contemptionem veniret. Sed etiam milites Romani opinabantur Sabinum timore affectum esse; itaque milites Sabinum irridebant vel, ut ait Caesar, eum vocibus nonnihil (= paulum) carpebant. Sic omnes opinabantur Sabinum Viridovicem timere. Haec Sabini (gen. subjectivus) opinio timoris (gen. objectivus) in dies crescebat; hoc est Sabinus Viridovicem cotidie plus timere videbatur. Postremo Sabinus tantam opinionem timoris praebuit, ut jam hostes ad vallum castrorum Romanorum (propius) accedere auderent. Repeto: Sabinus sese castris tenebat, cum Viridovix contra eum consedisset, cotidieque productis copiis pugnandi potestatem faceret. Ita factum est, ut Sabinus jam non solum in contemptionem hostium veniret sed etiam a militibus Romanis nonnihil carperetur.

59. Sed nunc nobis quaerendum est, cur Sabinus non pugnaverit; nobis quaerendum est, utrum Sabinus timore ductus non pugnaverit an alia causa impulsus sit ad cunctandum. Sabinus sic cogitavit: Caesar, qui summam imperii tenet, abest; ego ejus legatus sum. Legato cum tanta multitudine hostium non licet dimicare (= non dimicandum est)

eo absente, qui summam imperii tenet. Equidem Caesare absente non pugnabo nisi bonis conditionibus; equidem tum modo pugnabo cum opportunus vel aequus est locus pugnae, aut cum (alia) aliqua opportunitas data est. Repeto: Sabinus ea de causa non pugnabat, quod Caesare absente legato dimicandum (esse) non existimabat nisi aequo loco aut opportunitate aliqua data. Sed Sabinus hanc opinionem timoris etiam augebat vel confirmabat; existimabat enim, hac opinione timoris uti posse ad hostem decipiendum. Nam Sabinus sperabat se facile victorem fore, si hostis securus factus erit (hac opinione timoris). Itaque Sabinus hac opinione timoris confirmata hoc consilio ac dolo usus est: Non omnes milites, quos Sabinus secum habebat, erant Romani; in copiis auxiliariis, quas Sabinus auxilii causa secum habebat, etiam multi Galli erant. Ex his Sabinus unum delegit ad rem, (quam Sabinus in animo habuit), conficiendam. Erat enim hic Gallus homo callidus et idoneus ad quaevis mandata perficienda. Huic Gallo Sabinus mandata explicavit; vel, ut ait Caesar, Sabinus Gallum edocet, quid (Sabinus) fieri velit; tum Sabinus ei multa praemia (= dona) pollicitus est, si cum his mandatis ad hostem transiret. Persuasit denique Sabinus huic Gallo, ut pro perfuga (= ut perfuga) in castra hostium transiret. Itaque Gallus in hostium castra transi(v)it.

Viridovicis copiae, ut diximus, putaverunt se a Romanis timeri. Sabinus autem hanc opinionem timoris confirmavit; hac opinione timoris confirmata Sabinus Gallum, (de quo diximus) ad hostes misit, qui iis hunc timorem explicaret vel proponeret.

60. Hic Gallus, cum pro perfuga ad hostes veniret, (Gallis) timorem Romanorum proposuit. Gallus hunc timorem explicans ea dixit, quae dicere jussus erat; dixit enim haec: Magnus timor exortus est in omni exercitu Romano. Caesar ipse apud Venetos magnis angustiis premitur; necesse est, (ut) Sabinus ei auxilium ferat. Itaque non longius abest,

(= non multum abest), quin Sabinus proxima nocte exercitum e castris clam educat, (ut Caesari auxilium ferat). Cum hoc (vel quod ubi) auditum est ab hostibus, omnes (hostes) conclamant (= conclamantes dicunt) haec: fratres, audite, nunc occasionem habemus negotii (= belli) bene gerendi! Caveamus, (ne) hanc occasionem omittamus! Oportet ad castra (Sabini) iri! Et multae quidem res Gallos ad hoc consilium (perficiendum) hortabantur: Primum Sabinus pugnare cunctabatur; secundum perfuga confirmavit Gallos a Romanis timeri; tertium Romanis inopia erat cibariorum; (hoc est Romanis non erat copia ciborum, quod parum diligenter provisum erat huic rei); quartum Galli sperabant Caesarem a Venetis superatum iri; postremum homines id, quod volunt, libenter credunt. (Galli volebant Romanos vinci; itaque Galli libenter credebant se Romanos victuros esse.) Erant igitur haec res, quae Gallos ad bellum suscipiendum hortabantur: superiorum dierum gloria, Sabini cunctatio, perfugae confirmatio, inopia cibariorum, spes Venetici belli, credulitas humana. His rebus adducti Galli in consilio a ducibus suis postulant, ut statim geratur bellum; et non prius quidem Galli duces suos e consilio dimittunt, quam ab his permissum vel concessum sit, uti (= ut) arma capiant (Galli) et ad castra Romana (oppugnanda) contendant. Duces haec concesserunt. Qua re concessa Galli laeti facti sunt, quasi jam victores essent vel quasi jam victoriam exploratam haberent. Itaque Galli laeti, ut explorata victoria, sarmenta virgultaque colligunt ad castra Romana oppugnanda. (Sarmentis virgultisque Romani ad fossas complendas uti solebant.) Sarmentis et virgultis collectis Galli ad castra (Romana) contendunt vel pergunt.

61. Locus, qui e planitie erigitur vel editur, appellatus locus editus. Quemvis montem aut collem igitur locum editum appellare licet. Superior pars collis aut montis summus mons aut summus collis appellatur; in-

ferior pars collis aut montis collis imus aut mons imus appellatur. Ab imo monte ad clivum (Abhang) ascenditur, a summo monte de clivo descenditur. Qui ad clivum ascendit, dicit: mons acclivis est. Qui de clivo descendit, dicit: mons declivis est. Mons, qui non ascendi (aut descendi) potest nisi arduo ascensu (aut descensu), appellatur praeruptus vel praeceps. Locus castrorum Romanorum (hoc est locus, ubi castra posita erant) editus erat et paulatim acclivis. Castra igitur posita erant in monte. Castra posita erant in ea parte montis, quae a planitie vel ab imo monte circiter mille passus distabat. Caesar hoc brevius dicit his verbis: locus castrorum paulatim acclivis erat ab imo (monte aut colle) circiter mille passus. Huc (= ad haec castra) Galli magno cursu contenderunt; voluerunt enim Galli, ut Romanis quam minimum spatii (= quam minimum temporis spatium) daretur ad se colligendos et ad se armandos. Hac de causa Galli (cursu) exanimati pervenerunt; hoc est Galli vix spirare poterant, cum ad castra Romana pervenerunt. Tum Sabinus milites suos ad pugnandum hortatus est. Sed vix necesse erat, ut Sabinus milites hortaretur; per se ipsos enim pugnare cupiebant. Itaque Sabinus militibus (pugnare) cupientibus signum pugnandi dedit. Hortatus suos igitur Sabinus cupientibus signum dat. Hostes onera ferebant; propter ea, quae ferebant, onera autem hostes impediti erant, (quominus pugnarent.) Impeditis hostibus Sabinus subito milites suos e duabus portis erumpere jubet; eruptionem igitur Sabinus fieri jubet.

62. Eruptione facta hostes ne unum quidem impetum Romanorum sustinuerunt (= tulerunt) sed statim fugerunt vel terga verterunt. Hoc factum est compluribus de causis: primum locus Romanis erat opportunus; secundum hostes erant (pugnae) inscientes et defatigati; tertium Romani superioribus pugnis exercitati fortiter pugnaverunt. Factum est igitur opportunitate loci, hostium inscientia ac defatigatione, virtute militum Romanorum et superiorum

pugnarum exercitatione, ut hostes statim terga verterent. Milites Romani hostes impeditos integris viribus consecuti (sunt et) magnum numerum eorum occiderunt. Reliquos hostes (hoc est eos, qui a peditibus non occisi erant), equites consectati sunt. Hi equites plerosque hostes occiderunt aut ceperunt, paucos hostes autem vivos et liberos reliquerunt. Hi pauci relictis sunt, quod equites eos in fuga non consecuti sunt; hi pauci enim jam antea e fuga evaserant. Itaque equites Romani reliquos consectati (multos occiderunt aut ceperunt), paucos (= eos, qui e fuga evaserant) reliquerunt. Caesar hoc brevius ita exprimit: equites reliquos consectati paucos reliquerunt. Ita hostes devicti sunt uno impetu. — Sic uno tempore Sabinus certior factus est de Caesaris pugna navali, et Caesar certior factus est de Sabini victoria. Omnes civitates autem, quarum copiae in hoc proelio pugnaverunt, statim se Sabino dederunt. Sic Sabini victoria erat plenissima. Sed quid haec victoria nos docet? Caesar ipse nobis dicit, quid haec victoria nos doceat de Gallorum animis et natura. Nam animus Gallorum, ut Caesar ait, alacer et promptus est ad bella suscipienda sed minime resistens ad calamitates (belli) perferendas. Itaque, ut ad bella suscipienda Gallorum animus alacer ac promptus est, sic mens eorum mollis est ac minime resistens ad calamitates perferendas.

63. Aquitania pars Galliae est. Potui etiam dicere: Aquitania e parte Galliae est; nam hae duae sententiae idem significant. Itaque sententia »Aquitania e magna parte Galliae est« idem significat ac sententia »Aquitania magna pars Galliae est«. Ergo sententia »Aquitania ex tertia parte Galliae est« idem significat ac sententia »Aquitania tertia pars Galliae est«. Nunc intellegetis, quae Caesar dicere voluerit, si apud eum legeritis: »Aquitania ex tertia parte Galliae aestimanda est«. His verbis Caesar intelligi vult et terram et homines; nam primum

Aquitania tertia pars terrae Gallicae est; tum numerus hominum, qui Aquitaniam incolebant, tertia pars numeri est eorum hominum, qui totam Galliam incolebant. Itaque Caesar dicit: Aquitania et regionum latitudine (= extensione) et hominum multitudine ex tertia parte Galliae aestimanda est. — Eodem fere tempore, quo Sabinus Gallos vicit, P. Crassus in Aquitaniam pervenit. (Aquitania sita est inter Pyrrhenaeos montes et Garumnam flumen). Venit autem P. Crassus in eas regiones Aquitaniae, quas Sontiates incolebant; haec civitas finitima erat provinciae Romanae. Paucis ante annis in hac regione — quam Sontiates incolebant — exercitus Lucii Valerii legati pulsus est. Valerius ipse exercitu suo pulso interfectus est. Paucis etiam ante annis inde (= ex hac regione) Lucius Mallius proconsul profugit. (Lucius Mallius in pugna impedimenta amisit; impedimentis missis victus est et fugit.) Crassus, cum haec omnia intellexeret, in hoc bello gerendo sibi maximam vel non mediocrem diligentiam adhibendam esse putavit. Repeto: P. Crassus, cum intellexeret, sibi in iis locis bellum gerendum esse, ubi Romani jam victi sunt, non mediocrem diligentiam adhibuit. Iccirco Crassus, priusquam in Sontiatum fines venit, multa ad hoc bellum necessaria providit et comparavit. Primum Crassus rem frumentariam diligenter providit; tum auxilia equitatumque comparavit.

64. Postremo autem Crassus sibi viros fortes e provincia Romana evocavit. Hos viros Crassus evocavit (ex oppidis) Tolosa et Narbone. Tolosa et Narbo erant oppida provinciae Romanae. (Caesar interdum etiam oppida civitates appellat.) Tolosa et Narbo civitates finitimae erant his Aquitaniae regionibus, (quas Sontiates incolebant). Tolosae et Narbonis multi viri Romani erant et in eorum numero multi erant viri fortes. Hi a Crasso Tolosa et Narbone evocati sunt, ut cum exercitu Romano in fines Sontiatum irent. Cuique horum virorum fortium Crassus per nun-

tium suum dici jubebat: etiam tu evocatus es ad hoc bellum, vir fortis; Crassi nuntius quemque virum fortem eo nomine allocutus est, quo (quisque vir fortis) nominabatur. Hoc Caesar brevius dicit his verbis: Crassus viros fortes nominatim Tolosa et Narbone evocavit. Crassus sic cogitavit: si hos viros nominatim evocavero, gaudebunt; intelligent enim me putare eos fortes esse. Postea autem hi viri fortissime pugnabunt, ne eos injuste fortes appellavisse videar. — Sic Crassus omnia diligentissime prae-paravit, ut maximam diligentiam in hoc bello gerendo ad-hiberet. Tum denique Crassus re frumentaria provisa, auxiliis equitatuque comparatis, multis praeterea viris fortibus Tolosa et Narbone nominatim evocatis — exer-citum suum in Sontiatum fines introduxit.

Sontiates mox cognoverunt exercitum Romanum advenire. Adventu exercitus Romani cognito Sontiates multas (magnas) copias coegerunt. Magnis copiis coac-tis Sontiates in itinere agmen Romanum adorti sunt equitatu suo, quo plurimum valebant; primum igitur Sontiates equestre proelium commiserunt. Sed equitatus eorum pulsus est. Equitatu Sontiatum pulso Romani hostes insecuti sunt. Insequentibus Romanis autem hostes subito copias pedestres ostenderunt, quas in con-valle (= valle) collocaverant. Hae copiae pedestres agmen Romanum in singulas partes diviserunt vel disjecerunt. Romanos disjectos hostes adorti (sunt et ita) proelium renovaverunt.

65. Sontiates superioribus victoriis freti in sua virtute salutem totius Aquitaniae positam esse puta-verunt. Romanis dux erat adolescentulus. (Crassus, ut dictum est, adolescentulus erat.) Itaque Romani hoc proelio ostendere voluerunt vel perspici cupiverunt, quid perficere possent adolescentulo duce, (sine reliquis legio-nibus). Propterea diu atque acriter pugnatum est. Tan-dem hostes vulneribus confecti (= defatigati) terga vertere.

(Inf. hist.). Magnus numerus hostium interfectus est. Magno hostium numero interfecto Crassus oppidum Sontiatum oppugnare coepit. Crassus hoc oppidum ex itinere (hoc est statim, sine ulla praeparatione) capi posse putavit. Sed hoc Romani facere non potuerunt, cum hostes fortiter resisterent. Quibus (hostibus) fortiter resistentibus Romani ad oppidum oppugnandum usi sunt vineis et turribus (ambulatoriis). Fortasse nonnulli vestrum nesciunt, quid fuerint vineae, et quid fuerint turres ambulatoriae! Vineae factae erant in similitudinem parvarum domuum vel umbracularum et armatae erant rotis. In superiore parte vinearum erat tectum, in latere anteriore et in latere posteriore vinearum erat porta. Vineae omnes tectae erant pellibus et saccis umidis (= madefactis), ne ab hostibus delerentur (igne dejecto). Ex his vineis portici formabantur, ita ut alia vinea post aliam poneretur; tum vineae ad urbem hostium movebantur. Per portas vinearum milites ad oppidum ibant, ut in muros ascenderent. — Turres ambulatoriae non dissimiles erant magnis carris ligneis. Compositae erant hae turres plurimis tabulatis (= struibus vel ordinibus). In superioribus his tabulatis erant foramina, e quibus tela in muros conjici poterant. Hae turres in muros movebantur (rotis aut cylindris). In turribus ambulatoriis milites erant, qui tela in hostes conjicerent. Vineae et turres igitur ad hostium muros movebantur vel agebantur.

66. Itaque Sontiatibus resistentibus Crassus vineas turresque (ad oppidum Sontiatum) egit. Sed Sontiates se a vineis turribusque defendere conabantur. — Si Romani oppidum oppugnaturi erant, primum aggerem ad muros oppidi ducebant. Etiam Crassus aggerem ad Sontiatum oppidum duxit. Usque ad hunc aggerem Sontiates vias subterraneas ducebant, quae apud Romanos cuniculi appellabantur. Per hos cuniculos oppidani se (ex oppido) usque ad aggerem oppugnantium conferre

solebant, ut et aggerem et machinas oppugnantium delerent. Itaque oppidani per hos cuniculos muros suos facilius defendere (poterant) et hostibus facilius nocere poterant. Sontiates peritissimi erant cuniculorum agendorum. Sontiates enim exercitati erant in cuniculis agendis. In Sontiatum terra aerariae erant, hoc est loca, ubi aes acquirebatur. In Sontiatum terra etiam erant secturae (seco, secare) hoc est fodinae, (fodio, fodere), ubi lapides frangebantur (= acquirebantur). In his aerariis secturisque Sontiates exercebantur in cuniculis faciendis. (Per cuniculos enim homines in aerarias et in secturas perveniebant). Sed Sontiates cuniculis suis tamen nihil ad oppidum suum defendendum proficiebant; nam Sontiates Romanorum diligentia impediabantur, quominus aliquid proficerent. Tum Sontiates eruptionem facere conabantur; sed etiam eruptionibus nihil proficiebant. Sic Sontiates mox (vel alias) eruptionem (facere) temptabant, mox (vel alias) cuniculos ad aggerem vineasque agebant. Sed hostes alias eruptione temptata, alias cuniculis actis mox intellexerunt his rebus nihil profici posse. Itaque hostes, ubi hoc intellexerunt, legatos ad Crassum miserunt. Per hos legatos Sontiates Crassum petiverunt, ut se (= Sontiates) in deditionem reciperet. Tum Sontiates deditionem a Crasso impetraverunt. Qua (= hac) re impetrata hostes arma tradere jussi sunt. Tum Sontiates arma tradiderunt, vel, ut ait Caesar, Sontiates, arma tradere jussi (hoc) faciunt (= fecerunt).

Summam imperii in oppido Sontiatum tenebat Adiatunnus. Hic eruptionem facere conatus est jam deditione facta. Adiatunnus sic cogitavit: Dum deditio fit, Romanorum animi in deditionem (faciendam) intenti sunt. Nunc tempus adest eruptioni faciendae! Romani enim omnes occupati sunt in armis accipiendis. Itaque Adiatunnus Romanorum animis in ea re intentis alia ex parte oppidi eruptionem facere conatus est.

67. Hanc eruptionem Adiatunnus fecit cum sexcentis devotis, qui sempiterna amicitia inter se conjuncti erant. Hos devotos Sontiates soldurios appellabant. Hi devoti vel soldurii erant milites, quorum alter alterius amicitiae se devoverat. Solduriorum conditio erat haec (= Solduriis erat hic usus), ut quisque omnibus commodis vitae una cum amico (devoto) frueretur. Sed etiam hic usus erat solduriis, ut quisque eorum eandem calamitatem ferret ac amicus suus (devotus). Si enim soldurio cuidam quid gravius acciderat, (vel per vim acciderat), omnes ceteri soldurii aut eundem casum cum eo ferebant, aut ipsi se necabant vel mortem sibi consciscabant. Usque ad Caesaris tempora nemo ex his solduriis repertus est, qui — amico interfecto—mori recusaret. Ejusmodi usus apud Germanos erat, ut Tacitus nobis narrat. Is enim, ut ait Tacitus, apud Germanos infamis erat in omnem vitam, qui principi suo superstes ex acie revertebatur vel recesabat. Hoc est: infamis erat is, qui principe suo necato e pugna fugiebat. — Cum his devotis igitur Adiatunnus eruptionem facere conatus est. (In hac sententia inter vocabulum »devotis« et vocabulum »conatus« apud Caesarem multa vocabula interjecta sunt. His vocabulis Caesar dicit, quae conditio apud soldurios fuerit. Caesar hoc plurimis verbis narrat; haec plurima verba Caesar inter subjectum sententiae et praedicatum sententiae interjecit. Itaque ii, qui omnia haec verba interjecta legerint, mox obliti erunt, de quo (homine) agatur in hac sententia. Ii, qui legerint, obliti erunt, quis eruptionem facere conatus sit. (subjectum sententiae). Itaque Caesar nomen sententiae (dat.) subjectum (= »Adiatunnus«) iterum expressit et ita dixit: Adiatunnus cum his devotis . . . (sequuntur vocabula interjecta) . . . cum his Adiatunnus eruptionem facere conatus et cetera). — Cum haec eruptio fieret, clamor ab ea parte munitionis sublatus est, ubi eruptio facta est. Clamore sublato milites Romani ad arma concurrerunt. Tum in ea parte

munitiois vehementer pugnatum est. At cum milites Romani ad arma concurrissent, ibique vehementer pugnatum esset, Adiatunnus cum devotis suis in oppidum repulsus est. In oppidum repulsus Adiatunnus tamen a Crasso impetravit, ut graviores poenas non solveret. Nam Adiatunnus a Crasso impetravit, ut(i) eadem condicione deditiois uteretur, (ac alii Sontiates). Itaque Adiatunnus devotique — ut ceteri — arma sua tradiderunt et in deditioem populi Romani recepti sunt.

68. Crassus non solum arma Sontiatum sed etiam obsides eorum accepit. Armis obsidibusque acceptis Crassus in fines Vocatium et Tarusatium profectus est (in occasum solis versus). Hae ceteraeque gentes Aquitaniae (barbari, ut ait Caesar) brevi tempore cognoverant Sontiatum oppidum expugnatum esse; hae gentes, de quibus diximus, cognoverant oppidum Sontiatum expugnatum esse paucis diebus, quamquam et natura loci et manu (= manibus hominum) munitum erat. Et re vera oppidum Sontiatum expugnatum est paucis diebus, postquam exercitus Romanus eo pervenit. Caesar dicit oppidum Sontiatum expugnatum esse paucis diebus, quibus (= postquam) ad oppidum ventum erat. Barbari hac re (= quod hoc cognoverant) commoti sunt, ut ad gentes finitimas legatos mitterent; barbari quoque versus (= in omnes partes) legatos mittere vel dimittere coeperunt. Tum barbari (inter se) conjurare, inter se obsides dare, copias parare coeperunt. Etiam ad nonnullas civitates Hispaniae legati missi sunt; nam barbari legatos miserunt ad eas Hispaniae civitates, quae finitimae erant Aquitaniae. Hae Hispaniae civitates eas regiones incolebant, quae inter Pyrenaeos montes et Iberum flumen sitae sunt. Ii, qui in Gallia aut in Aquitania erant, hanc partem Hispaniae Hispaniam citeriorem appellabant. Sed etiam ii, qui in provincia Romana aut in Gallia cisalpina aut in Italia ipsa erant, hanc Hispaniae partem Hispaniam citeriorem appellabant. Apud omnes

Romanos igitur haec pars Hispaniae Hispania citerior appellabatur (quod sita erat cis terras Romanas). Itaque barbari auxilia arcessiverunt ex iis civitatibus, quae erant citerioris Hispaniae (gen.) finitimae (nom.) Aquitaniae (dat.). Certe novistis temporibus bellorum civilium Romanorum bellum gestum esse in Hispania inter rem publicam Romanam et Quintum Sertorium. — Q. Sertorius, egregius dux Romanus, per octo annos (80—72 ante Chr.) rei publicae Romanae magnum terrorem injecerat. In exercitu Sertorii multi milites et etiam multi duces barbari erant (natione); et multi quidem eorum (militum et ducum) ex ea parte Hispaniae erant, quae sita est inter Pyrenaeos montes et Iberum flumen. Hi duces magnam auctoritatem habebant; exercitati enim erant in bello gerendo, quod tot annos una cum Sertorio fuerant (bello Sertoriano). Propterea hi duces summam scientiam rei militaris Romanae habere existimabantur.

69. Itaque barbari (Vocates, Tarusates aliaeque gentes Aquitaniae) ex Hispania citeriore non solum auxilia sed etiam duces arcessiverunt; duces autem ii delecti sunt, qui omnes annos una cum Sertorio fuerant. Cum hi duces magnam auctoritatem (in rebus militaribus) haberent, barbari putaverunt se bellum (contra Crassum) magna cum auctoritate gesturos esse. Atque cum barbaris multae essent copiae, multaeque ex Hispania copiae auxiliares essent arcessitae, barbari speraverunt se hoc bellum cum magna hominum multitudine gesturos esse. Cum haec auxilia et hi duces advenissent, barbari valde gaudebant. Quorum (auxiliorum ducumque) adventu barbari magna cum auctoritate et magna cum multitudine hominum bellum gerere conati sunt. Duces delecti omnia secundum consuetudinem populi Romani instituerunt. Instituunt (praes. hist.) hi duces enim consuetudine Romana: loca capere, castra munire, Romanos comœatu intercludere (hoc est impedire, quominus Romani comœ-

atum acciperent, vel impedire, quominus Romanis commeatus supportari possit.).

Crassus mox animadvertit barbaros bellum consuetudine Romana gerere. Hoc ubi Crassus animadvertit, sine mora sibi pugnandum esse putavit. Crassus sic cogitavit: parvus est numerus militum meorum; copiae hostium magnae sunt. Itaque copiae meae non facile dividi vel diduci possunt. Hoc facere non possum propter exiguitatem copiarum mearum. Hostis vagatur, ita ut mox alio mox alio loco sit. Nullo loco igitur nos tuti sumus ab hostibus. Hostis vias obsidet; ergo hostis nos impedire potest, quominus sine periculo viis utamur. Castris suis hostis satis praesidii reliquit; tutus est igitur hostis ab impetu nostro. At hostes vagantes quoquo tempore habent, quo (= in quem locum) se recipere possint. Mihi autem ob eam causam minus commode commeatus supportari potest. Itaque mihi non cunctandum est, quin pugna decertem. Salus nostra in armis posita est. — Propterea, ubi Crassus animadvertit copias suas propter exiguitatem diduci non posse, hostes vias obsidere numerumque eorum in dies augeri, pugna sibi decertandum esse existimavit.

70. Itaque Crassus hujus rei causa consilium convocavit, vel, ut ait Caesar, Crassus hanc rem ad consilium detulit. Hac re ad consilium delata omnes, quos convocavit, idem ac Crassus senserunt. Tum Crassus, ubi omnes idem sentire intellexit, posterum diem pugnae constituit.

Oriente sole vel prima luce Crassus copias suas e castris ad pugnam produxit. Omnibus copiis productis Crassus milites suos duplici acie instituit. Multi vestrum certe nesciunt, quem in modum apud Romanos duplex acies constituta sit. Necesse est, (ut) vobis hoc explicetur. Vocabulo »acies« eadem stirps est ac vocabulo »acer«. Propterea acris vel acuta pars gladii aut cultri acies appellabatur. Pars vel series militum autem

una linea constituta non dissimilis est aciei gladii aut cultri. Propterea series militum una linea constituta etiam acies appellabatur. Itaque series militum, quae prima linea constituta erat, prima acies appellabatur, series militum, quae secunda linea constituta erat, secunda acies appellabatur, series militum autem, quae tertia linea constituta erat, tertia acies appellabatur, et ceterae lineae eadem ratione appellabantur. Sed acies etiam appellabatur omnis pars exercitus, quae his lineis constituta et ordine pugnandi disposita erat. Omnis acies (= ordo) divisa erat aut in duas acies (= lineas) aut in tres acies (= lineas) aut in quattuor acies (= lineas). Acies (ordo) divisa in duas acies (lineas) acies duplex appellabatur, acies (ordo) divisa in tres acies (lineas) acies triplex appellabatur; acies (ordo) autem divisa in quattuor acies (lineas) acies quadruplex appellabatur. (Si acies (ordo) non divisa erat, acies (ordo) appellabatur simplex.) Itaque acies (ordo) duplex e duabus aciebus (lineis) constabat.

Dextra pars aciei (ordinis) ala dextra appellabatur, sinistra pars aciei (ordinis) ala sinistra appellabatur; media pars aciei (ordinis) autem media acies appellabatur.

71. Itaque Crassus propter paucitatem militum suorum omnes copias suas duplici acie instituit. Auxilia (Gallos) autem Crassus in media acie collocavit vel, ut ait Caesar, in mediam aciem coniecit. Duplici acie igitur instituta et auxiliis in mediam aciem coniectis Crassus exspectabat, quid consilii (= quod consilium) hostes caperent. Illi (hostes) quidem existimabant se tuto hoc est sine periculo dimicare posse; tuti enim esse existimabant propter multitudinem militum suorum, propter veterem suam belli gloriam, propter paucitatem militum Romanorum. Sed etiamsi hostes hoc existimabant, tamen tutius esse arbitrabantur vias obsidere et Romanis commeatum (vel Romanos commeatu) intercludere; nam hostes sperabant se hoc

modo sine vulnere victoria potituros esse. Hostes sciebant Romanos propter rei frumentariae inopiam mox coactum iri se recipere. Hostes Romanos adoriri cogitabant, cum hi (Romani) sese recepissent; putabant autem Galli Romanos se recepturos esse omnibus rebus oneratos, quae milites secum in itinere portare solebant. Omnia, quae milites in itinere secum portabant, apud Romanos sarcinae appellabantur. Milites sub sarcinis euntes sarcinis onerabantur vel impediabantur, (quominus manibus suis ad pugnandum uterentur.). Itaque Caesar dicere potuit: Galli putabant Romanos se recepturos esse impeditos et sub sarcinis. Galli etiam putabant Romanos tristes fore, cum (Romani) propter rei frumentariae inopiam se recipere coacturi sint; sed Galli etiam putabant Romanos se recipientes eo tristiores fore, cum impetus in eos futurus sit impeditos (sub sarcinis). Si homo non tristis est, animus ejus valet hoc est sanus vel firmus est; si homo tristis est, animus ejus infirmior est (quam animus esse solet, si homo non tristis est) Itaque Galli Romanos adoriri cogitabant, cum (Romani) se recepissent et (sub sarcinis) impediti essent et (iccirco) infirmiore animo essent. Si autem milites impediti sunt in agmine vel in itinere, si (milites) sub sarcinis sunt et infirmiore animo, iis (militibus) difficillima est defensio. Propterea hostes facile victoriam sine vulnere reportare posse existimabant.

72. Itaque hostes obsessis viis, commeatu intercluso Romanos impeditos adoriri cogitabant; hoc facere Galli cogitabant, cum hi (Romani) se recipere coepissent (propter rei frumentariae inopiam). Hoc consilium hostium a ducibus probatum est. Consilio probato Galli sese castris tenebant, quamquam Romani copias suas produxerant. Itaque consilio probato Galli, (productis Romanorum copiis) se castris tenebant. Hac hostium cunctatione factum est, ut Galli Romanos timere viderentur; milites Romani opinionem habebant,

se a Gallis timere. Galli igitur Romanis opinionem timoris praebebant. Itaque Galli cunctatione sua et opinione timoris Romanos alacriores fecerunt ad pugnandum. Haec omnia Crassus plane perspexit; hoc est Crassus bene intellexit, quid Galli sentirent, et quid Romani sentirent. Hac re perspecta Crassus audire voluit, quid Romani de hac re dicturi sint. Omnes quidem arbitrati sunt hostium castra quam celerrime expugnanda esse: vel, ut ait Caesar, omnium voces auditaе sunt exspectari diutius non oportere, quin ad hostium castra iretur. Cum autem omnium voces audirentur hoc facere oportere, Crassus statim ad hostium castra ire decrevit. Tum Crassus milites suos cohortatus est, ut fortiter pugnarent. Deinde Crassus cohortatus suos ad hostium castra contendit. Milites Romani autem ipsi cum Gallis pugnare voluerunt vel cupiverunt. Itaque Crassus omnibus (militibus Romanis) cupientibus ad hostium castra contendit. Repeto: Cum hostes milites Romanos opinione timoris alacriores ad pugnandum fecissent, (vel effecissent) atque omnium voces audirentur diutius exspectari non oportere (quin ad castra iretur), Crassus omnibus cupientibus ad hostium castra contendit.

73. Milites Romani mox ad castra hostium pervenerunt. Tum Romani castra hostium oppugnare coeperunt. Alii (milites Romani) ibi fossas complebant, alii (milites Romani) tela in vallum conjiciebant, telisque coniectis defensores vallo depellebant. Auxiliares (= copiae auxiliariae Gallicae) non pugnabant; auxiliares militibus Romanis omnia comportabant vel subministrabant, quae iis (militibus Romanis) necessaria erant ad castra oppugnanda. Militibus Romanis autem necessaria erant caespites ad aggerem exstruendum. (Romani aggerem paulatim exstruebant, donec usque ad muros oppidi oppugnati pertineret; agger exstructus eadem altitudine erat ac muri oppidi oppugnati. In aggere exstructo milites Romani oppugnantes usque ad muros ipsos currere poterant.) Militibus

Romanis etiam necessarii erant lapides, quos machinis suis in vallum hostium conjicere possent. Sed militibus Romanis etiam erant necessaria tela, quibus defensores vallo depellere possent. Hos caespites auxiliares Romanis ad aggerem exstruendum comportabant; hos lapides et haec tela auxiliares Romanis subministrabant. Sed auxiliares haec omnia ita faciebant, ut hostes opinarentur auxiliares etiam pugnare. Itaque auxiliares speciem et opinionem pugnantium praebebant (hostibus); talem speciem auxiliares praebebant lapidibus telisque subministrandis et ad aggerem caespitibus comportandis. Quamobrem autem auxiliares non pugnabant sed speciem modo pugnantium praebebant? Cur Crassus hoc ita fieri voluit? Crassus auxiliaribus non multum (ad pugnam) confidebat, cum Galli essent; timebat enim Crassus, ne auxiliares hostes, — qui etiam Galli erant — adjuvarent. Fortiter pugnatum est a Romanis; sed item constanter ac non timide pugnatum est ab hostibus. Tela eorum e vallo mittebantur, quod usque ad id tempus aggerem Romanum altitudine superabat (Romani enim usque ad id tempus partem modo aggeris exstruerant.). Tela hostium igitur e loco superiore mittebantur. Tela hostium autem e loco superiore missa multos Romanos vulnerabant; vel, ut ait Caesar, tela non frustra accidebant (= in Romanos cadebant.).

74. Utrique (Romani et hostes) longum tempus fortiter pugnabant. Utrisque fortiter pugnantibus factum est, ut equites Romani forte castra hostium circumirent. Castris circumitis equites Romani Crasso (re)nuntiaverunt castra non ab omnibus partibus munita esse eadem diligentia; equites Romani Crasso renuntiaverunt castra hostium non eadem diligentia munita esse a porta decumana. Quid est porta decumana? hoc vobis explicandum esse puto. Explicandum vobis est, quo modo (vel qua ratione) castra hostium instituta sint. Castra hostium (hoc loco) eadem ratione instituta erant ac castra Romana,

ut vobis jam narratum est. Itaque vobis explicandum est, qua ratione instituta sint castra Romana; tum non ignorabitis, qua ratione instituta sint ea hostium castra, de quibus hoc loco agitur; tum non ignorabitis etiam, ubi porta decumana sita sit in his castris hostium (atque in omnibus castris Romanis). Quattuor erant portae castris Romanis: porta praetoria (in fronte castrorum) porta principalis dextra (in dextra parte castrorum), porta principalis sinistra (in sinistra parte castrorum), porta decumana (in tergo castrorum). Porta decumana erat in ea parte castrorum quae aversa erat ab hostibus. Castra Gallorum, ut dictum est, hoc bello munita erat consuetudine Romanorum. Non ignorabitis igitur, ubi in his castris sita sit porta decumana. Certior factus est Crassus (ab equitibus Romanis) castra hostium facilem aditum habere a porta decumana. Tum Crassus praefectos equitum cohortatus est, ut magnis praemiis et pollicitationibus (equites) suos (ad pugnandum) excitarent. Equitum praefectos cohortatus Crassus ostendit, quid fieri velit (vellet). Praefecti equitum (id), quod imperatum erat, fecerunt; hoc est, equitum praefecti fecerunt haec: primum (equitum praefecti) eas cohortes (e castris) eduxerunt, quae castris praesidio relictas erant: cohortes in castris relictas enim intritae erant, hoc est nondum laboribus defatigatae. Tum equitum praefecti has cohortes circum castra hostium circumduxerunt longiore itinere, ne ex hostium castris conspici possent. His cohortibus eductis et circumductis, equitum praefecti (cum cohortibus suis) ad hostium munitiones contenderunt; contenderunt autem cohortes ad eas hostium munitiones, quae ad portam decumanam positae erant.

75. Eodem tempore aliis locis, quae longiore spatio a porta decumana aberant, pugnabatur; qua de causa hoc tempore omnium oculi mentesque intenti erant ad ea loca, ubi exorta erat pugna. Propterea nemo cohortes

ad portam decumanam euntes animadvertit. Itaque, omnium oculis mentibusque ad pugnam intentis cohortes celeriter ad eas, quas diximus, munitiones pervenerunt.

Cum cohortes celeriter ad portam decumanam pervenissent, celeriter munitiones ad portam decumanam sitas diruerunt vel, ut ait Caesar, proruerunt. — His (munitionibus) prorutis cohortes in hostium castra penetrabant. Et prius quidem cohortes in castris hostium constiterunt, quam ab hostibus plane hoc videri posset. Itaque cohortes prius in hostium castris erant, quam ab hostibus plane cognosci posset, quae res vel quid rei gereretur. Tum a porta decumana subito clamor militum Romanorum sublatus est; milites Romani clamaverunt spe victoriae gaudentes. Hoc clamore (ab ea parte) audito ii milites Romani, qui aliis locis pugnaverunt, acrius pugnare coeperunt; nam spe victoriae vires militum (labore defessorum) renovari vel redintegrari solent. Itaque Romani redintegratis viribus acrius pugnare vel impugnare coeperunt. Tum hostes undique circumventi saluti suae (vel omnibus rebus, dat.) desperaverunt. Omnibus rebus desperatis hostes se per munitiones dejicere coeperunt vel intenderunt. Hos (= quos) equitatus Romanus apertissimis campis (= in regione plano et aperto) consectatus est. Equitatus Romanus hostes consectatus vix quartam partem eorum reliquit (vivam aut liberam). Ex Aquitania et ex Cantabrorum finibus quinquaginta milia hostium convenisse constabat; ex hoc numero vix quarta parte relicta equitatus Romanus se in castra (Romana) recepit. Cum equitatus se in castra recepit, jam diu orta erat nox. Itaque Caesar dicit: equitatus Romanus multa nocte se in castra recepit. —

76. Brevi tempore post hanc pugnam factam omnes fere gentes Aquitaniae audiverunt Gallos a Romanis victos esse. Itaque maxima pars Aquitaniae hac pugna audita Crasso sese dedit; omnes fere gentes Aquitaniae ultro

(hoc est sua sponte) obsides miserunt. Quorum in numero vel quo in numero fuerunt Vocates, Tarusates alique. Nomina harum gentium apud Caesarem legetis. Paucae modo gentes Aquitaniae hoc facere (= obsides dare) neglexerunt; hoc est hae gentes obsides non miserunt. Hae paucae erant nationes ultimae, hoc est hae nationes Aquitaniae, quae remotissimae erant vel plurimum aberant a Romanis (= a provincia Romana). Ultimae nationes Aquitaniae igitur regiones prope mare sitas incolebant. Hae nationes hoc (= obsides non dare) ausae sunt, quod hiems appropinquabat vel suberat; hieme enim difficilius erat bellum gerere. Itaque paucae (ultimarum) nationum Aquitaniae anni tempore confisae hoc (= obsides non dare) ausae sunt; vel, ut ait Caesar, paucae ultimae nationes anni tempore confisae — quod hiems suberat — hoc facere neglexerunt.

Romani hieme bellum gerere non consueverunt; exercitum in hibernis collocare solebant jam initio autumnii vel autumno ineunte. Eo tempore, quo Crassus Aquitaniam vicit, aestas jam prope finita vel peracta erat. Tamen Caesar eodem fere tempore exercitum ad Morinos Menapiosque adduxit. Nam omni Gallia pacata hae nationes (nondum victae) supererant; erant enim Morini Menapiique in armis nec unquam (= et nunquam) ad Caesarem legatos de pace miserunt. Hoc bellum celeriter confici posse arbitratus Caesar exercitum eo (= in Morinos Menapiosque) adduxit. Hae nationes oras maritimas incolebant, quae a freto Gallico usque ad Rhenum flumen pertinebant. Eo (= in Morinos Menapiosque) igitur Caesar profectus est.

77. Morini Menapiique alia ratione ac reliqui Galli bellum gerere coeperunt. Hae gentes enim intellegebant maximas nationes (Gallorum) superatas esse a Romanis; hoc est Morini Menapiique intelligebant nationes Gallicas, quae (= cum) proelio (cum Romanis) contendissent,

pulsas superatasque esse. Itaque Morini Menapiique proelio cum Romanis contendere — ut reliqui Galli faciebant — noluerunt. Sed etiam oppidis se defendere — ut reliqui Galli faciebant — Morini Menapiique noluerunt; habebant enim densas silvas ac vastas paludes, ubi se recipere poterant. (Caesar has silvas ac has paludes continentes appellat. *Silvae aut paludes continentes sunt silvae aut paludes, quae sine intervallis per magna spatia pertinent*). Ita Morini Menapiique longe alia ratione ac reliqui Galli bellum gerere coeperunt. Nam quod intellegebant Gallos proeliis pulsos esse a Romanis et (quod) continentes silvas et paludes habebant, eo (= in silvas ac paludes) se suaque omnia contulerunt. Ad harum (= quarum) silvarum initium Caesar cum venisset, hostis se in silvis condiderat. Tum Caesar castra munire instituit; sed dum Caesaris milites castra muniunt, hostis non visus est. Cum Caesar castra munire instituisset neque hostis interim visus esset, milites Romani in opere (occupati) dispersi sunt. Militibus in opere dispersis hostes subito ex omnibus partibus silvae evolaverunt et impetum in Romanos fecerunt. Sed Romani eos celeriter in silvas reppulerunt et complures interfecerunt. Compluribus (hostibus) interfectis Romani hostes in loca incommodiora hoc est in silvas densiores secuti sunt; vel, ut ait Caesar, Romani hostes longius secuti sunt locis impeditioribus; propterea et e Romanis nonnulli interfecti sunt sed pauci. Repeto: Romani, — compluribus (hostibus) interfectis, hostes impeditioribus locis longius secuti (sunt et) paucos ex suis (militibus) deperdiderunt.

78. His locis multum profici non potuit; itaque Caesar prope has silvas diu manere noluit sed decedere constituit. Pauci dies usque ad ejus decessum relictis sunt; his diebus autem Caesar silvas caedere instituit. Itaque milites silvas caedebant nullo die

intermisso; vel, ut ait Caesar reliquis deinceps diebus milites silvas caedebant. Cur autem Caesar silvas caedere instituit? Caesar silvas caedere instituit, ne ab latere quis impetus fieri posset militibus Romanis inermibus imprudentibusque. (Prudens idem est ac providens; providens appellatur is, qui aliquid providit. Imprudens (improvidens) autem appellatur is, qui aliquid non providit vel providere non potest. Romani hoc loco imprudentes vocantur, quod periculum imminens providere non potuerunt). Ligna caesa vel omnem materiam, quae erat caesa, Caesar humi collocari et ad hostem converti jussit; hoc est Caesar arbores caesas ita collocari jussit, ut rami acuti (vel ramorum acies) in hostem converterentur. His ramis Romani ab impetibus hostium tecti sunt, (quasi vallo quodam). Tale vallum ex arboribus factum Caesar in utroque latere vel ad utrumque latus (castrorum) exstruebat. Itaque Caesar — ne quis ab latere impetus fieri posset — omnem materiam conversam ad hostem collocabat et pro vallo ad utrumque latus exstruebat. — Incredibili celeritate in magno spatio silvarum arbores caeduntur; paucis diebus multae arbores caeduntur et ad opus (hoc est ad vallum exstruendum) adhibentur. Caesar hoc brevius dicit his verbis: incredibili celeritate paucis diebus magnum spatium (in silvis) conficitur. Magno spatio confecto jam pecus hostium et extrema impedimenta hostium (= proxima Romanis) visa sunt. Hoc pecus et haec impedimenta mox a Romanis capta sunt. Pecus et impedimenta hostium in manibus Romanorum erant vel tenebantur. Tum hostes ipsi in densiores silvas fugerunt vel, ut ait Caesar, densiores silvas petiverunt.

79. Sed cum haec omnia fierent, magnae tempestates (ex)ortae (sunt) vel consecutae sunt. Tempestates ejusmodi erant, ut opus necessario intermitteretur. Factum est continuis imbribus vel, ut ait Caesar, continuatione

imbrium, ut milites in tabernaculis habitare non possent; vel, ut ait Caesar, factum est, ut milites contineri non possent sub pellibus, hoc est sub tabernaculis pellibus tectis. Ejusmodi tabernaculis enim milites ab imbribus et a frigore defendi non poterant. Militibus Caesaris tum casae stramenticiae (= casae stramento tectae) non erant; militibus Caesaris etiam non erant hibernacula his locis, hoc est domus, ubi hiemare poterant. Cum autem militibus nec casae stramenticiae nec hibernacula essent, opus erat exercitum in hibernis collocare; hiems enim appropinquare videbatur. Repeto: magna operis parte confecta — cum jam pecus et extrema impedimenta hostium a Romanis tenerentur, ipsi hostes densiores silvas petiverunt. Sed tum ejusmodi tempestates consecutae sunt, ut opus necessario intermitteretur et milites sub pellibus contineri non possent. Cum Caesar igitur in hac re nihil proficere posset, omnes agros hostium vastavit, vicos aedificiaque eorum autem incendit. Itaque Caesar — vastatis omnibus hostium agris, vicis aedificiisque incensis — exercitum reduxit. Tum Caesar exercitum suum in hibernis collocavit in finibus Aulercorum et Lexoviorum et reliquarum civitatum, quae non multum ante hoc tempus bellum fecerant; vel, ut ait Caesar, exercitus Romanus hiemavit in finibus Aulercorum et Lexioviorum et item (= etiam) in finibus reliquarum civitatum, quae tum a Caesare defecerant. Itaque Caesar exercitum in hibernis collocavit in finibus omnium earum civitatum, quae proxime, (hoc est non multum ante hoc tempus) bellum fecerant.

